

8300

M. A. n.º 1. de Lovadonga (Santuario de Ntra. Sra. de) pag. - 108
cita la edición de 1525 - (No vis' esta) =

N.º 403 - del Catalogo =

JUNTA DELEGADA
DEL
TESORO ARTÍSTICO

Libros depositados en la
Biblioteca Nacional

Procedencia
T'SERCLAES

N.º de la procedencia

233

Ast R 1732

SPELVNCA
B. MARIÆ
DE COVADONGA
IN ASTVRIIS HISPANIARVM

MONTIBVS,
PVBLICA RELIGIONE OLIM
A PELAGIO CANTABRO

DEDICATA
ET SECVNDVM HVNC


Memoriæ posthumæ Excellentissimi & Illustrissimi
Domini D. FRANCISCI DE MONCADA,
Marchionis de Aytona, hoc efferuescente anno
1635. 17. Aug. in castris apud Cliuos fato functi
consecrata.

*Auctore IOSEPHO GELDOLPHO a Ryckel
Abbate S. Gertrudis Louanij.*

BRVXELLIS,
Ex typographeio GODEFRIDI SCHOVARTII,
Anno 1635.

In Asturijs, in Diœcesi Ouetana Mo-
nasterium S. Mariæ vulgò de Cueva Don-
ga Canonici Regulares adhuc tenent. Ex
Relatione Lusitana.

*Gabriel Pennottus in Arst. Tripart.
Regular. Can. 2. p. c. 31. 2.*



ILL.^{mo} ET EXCELL.^{mo} DOMINO
D. GVILIELMO RAYMVNDO
DE MONCADA, MARCHIONI
DE AYTONA, ET DE LA PVEBLA,

Comiti de Ossonã, Vice Comiti de Cabre-
ra y Bas, & de Illa, Baron de Laguna,
Domino Castri & Baronatus de Alfaxa-
rin &c. Ordinis Calatrauæ Commen-
datori de Resneda, Magno Aragoniæ
Senescallo &c. L. M. DD. C. Q.

Habeo tibi Illustrissime Dñe
Marchio, velut alterum pa-
rentem tuum (quæ immatura
fata nobis eripuerunt) Pelagiũ
sanctum Cantabrum, qui res
olim spesque Reip vehementer afflictas in
Hispania vestra redintegravit in Spelunca de
Covadonga montis Ausena. Quod enim ille
fortiter in illa rupium Asturiarum specu; hoc

immortali memoria dignissimus, felicis recor-
dationis parens tuus Franciscus, non minus
feliciter ausus & aggressus est in hoc Belgio
nostro, sed potissimum in insula S. Stephani,
in qua Deo auspice, ac metatore Cantelmo
viro strenuo, Remp. Belgicam vehementer
commotã rursus erexit, sub invicti Regis im-
perio. Inde quod adhuc salvi sumus, ipsi ferè
post Deum uni debemus: ut qui validissimo-
rum aggerum obiectu furentem hostem repres-
serit, molibus nẽpe vastissimis in vado Mosæ
iactis: non minus gloriose, quam olim Ordo-
nius secundus cum Cordubensi Duce, & Rege
Tingitania, ad Divi Stephani oppidum, in
ripa Durij collatis signis congressus, immorta-
lem laudem a loco est mutuatus.

Epaminondas primus & ultimus Theba-
norum Rex rogatus, ut per matrimonium so-
bolem & nomen propagaret, respondit: Pro
semine relinquo Leuctriam victoriam. Idem
respõdere Belgis potuit, si te nobis superstitem
non reliquisset: En in illa S. Stephani Insula
spirantem mei memoriam habetis. Ibi præsidi-
um fortunarũ vestrarũ constitui: angustum
qui-

quidē regio nomini, sed sufficiens tamē tuenda
publica saluti. At exigua videri poterat hac
eius bellica pars & portio virtutis, quantum-
vis eā, proprio Marte solusque, repugnātibus
omnium ferē ducum sententijs, enixus sit, nisi
maiores exferenda fortitudinis occasione fors
obiecisset: quae & paratissimā causam benē
merendi de Repub. ipsi prouidit abunde. Itaq;
quasi quodā aestu & torrente bellorum aduer-
saria factio coniurasset in hoc Belgium nostrū,
per idem tēpus & dirus sinon domi crudelia
pacta deducebat, & e Germania conductitius
Suenorum exercitus euocatus in auxiliū re-
bellium Batavorū aduenerat (equites ad qua-
tuor millia) quibus nostra copia profectō pares
non erant. Hos ita instruxerat Auriacus, ut
non tam ad pugnam, quā ad certam praedam
ducere videretur, vannis & verriculis onu-
stos (tanta frumentationis erat fiducia, & de
alieno inter eos munificentia, ut viritim iam
tum diuideretur ager & annona nostra) sicq;
progredi capit exercitus ille Leonū, sub ceruo
duce, per ericetū vastissimū Campaniae Bra-
banticae. Cui licet longē copijs impar, ut dixi,

Et imparatus ex parte, tamen obviam pro-
cessit: Et quod vix posteritas credet, ultro co-
piam pugna fecit. Sed quid ille ad nuntium
adventus Et vocis huius? Sicut sepiasuis in-
voluta spiris agnosci vix, nedum explicari
potest; sic nec hostis paludibus, Et malignis
locorum suorum receptaculis haecenus muni-
re se solitus, ab ingenio recessit: Sed essedis
impedimentisque alijs circumdatus, ac bene-
ficio noctis usus, salutem Et securitatem
suam redemit: dein illucescente die, concla-
matis vasis, uti non ita pridem in Flandria,
sic Et hic illud sibi denuo redaptavit: Venit,
vidit, fugit.

Sed Et non multo post, velut gloriam Et
decus amissum reparaturus, alteram expe-
ditionem adornavit, tunc cum Traiecto ad
Mosam noster exercitus, cui parens pra-
erat, immineret. Contractis igitur copijs Bre-
danum oppidum obsidere cepit: iamque iacti
aggeres erant ad bis mille quingentas Et eo
amplius virgas. (virgas verbo etiam Lipsij
vocamus, perticas, quae alibi sedecim pe-
dum Et semis sunt, alibi octodecim, aut
etiam

etiam viginti) spemque non minimam
habebat, intra septiduum obsidionem perfici
posse. Et verò militaris manus, pubesque
Batavica, docta ligonibus versare glebas
severi ducis ad artitrium, presentissimè
iussis aderat: Et nisi citò maturasset parens
obsessis auxilium, capta hostis facile perfe-
cisset. At ipse cunctari nescius, raptis qua-
tuor equitum, sex peditum millibus (nam
plura colligere vetabat indubitatus periculi
metus, Et noxia semper in bellis procras-
tinatio) pugna avidus in hostem movit.
Quid deinde sequutum? Ingens in castris
hostium formido, mox Et fœda fuga, cades-
que confusanea.

Verè Et non vanè dictum olim legimus
ab Alphonso Castella rege eius nominis un-
decimo: Strenuos duces contra fortunam niti:
ignavos ad desperationem formidine festina-
re: quod hic etiam usu venisse Et valuisse
certum est. Nisi enim fortiter hæc aliaque,
contra quam rerum status nostrarum
tunc suadebat, ausus esset; hostibus crevisset
audacia, nostris verò subrepere potuit metus

Et

Et desperatio. Bene igitur res habet: per eum
defensi sumus, Et hostem a muris nostris, ab
aris Et focis repulimus: ipsius nos texit pietas
Et bello vivida virtus; nam Et multo magis
religione, quam ipsis mœnibus urbes cingi te-
stis est locuples Tullius.

Patere me tibi pauca recensere Maiorum
tuorum exempla, qui tibi facem velut ex edi-
tissima Pharo praluxerunt in hoc eodẽ genere
fortitudinis Et robusta pietatis. Ut omittam
altius stemma vestrum, quod ex Boicis Et
Barcinonensibus Heroibus trahitis, certè pri-
mus familia vestra nobilissima Moncadarum
conditor effloruit in omne decus Guilielmus
Raymundus Catalaunia Senescallus, cuius
nomen induisti. Hic pro ea, qua apud Rami-
rum Aragonia regem valuit auctoritate Et
gratia, Moncada municipio donatus est, anno
a Ghristi natalibus 1137. Hoc pramium tulit
ob fidissimam navatam operam in Reip.
statu componendo, ac publica tranquillitate
fundanda.

Secundum hunc Raymundus Moncada
anno 1152. Aragonicis armis adiutus, adsci-
toque

toque Urgelia Comite, atque Pontio Hugone
Emporiarum Comite, omnia oppida, qua-
cunque ad Sicoris & Cinga ripas in Mau-
rorum ditioe perstabant, expugnauit: arces
praeterea Tarraconem inter & Dertusam,
nec non Mirauetum ad Iberi ripam oppi-
dum munitissimum pari felicitate subegit.

Anno 1229. Balearium insularum rex
Retabohites, religione Maurus Aragonum
arma in se prouocauit. Magnus undique de-
lectus in eam expeditionem fiebat. Milites in
naues impositi numero ad quindecim millia
peditum: equites mille quingenti: classis cen-
tum quinquaginta naues numerabat: onera-
rias quinque & viginti. His copijs praerant
cum imperio Guilhelmus Moncada Bearna
regulus, & Raymondus Moncada, qui &
in prima acie curabat. Hi pariter sinistrum
hostium cornu fortiter aggressi, dum pulchram
quarunt per vulnera mortem vel victoriam,
occubuerunt: sed non inulti; fidem suam in
Deum, regem, ac Rempub. egregie testati.
Horum potissimum sanguine parta victoria,
confirmataque necessaria in bellis audacia, &
Baleares capta. B Lon-

Longum sit si commemorare velim quid
Othus Moncada Sardico bello gesserit anno
Christi 1354. quid item Guilielmus & Ro-
gerius Duces in Sicilia anno 1382. quid de-
nique Petrus maris Praefectus ad Rubricati
promontorium ad Algeziram, quam obsidio-
ne subegit: & alij generis & gentis vestrae de-
cora; quorum ea dignitas olim fuit & prae-
rogativa, ut Barcinonae aduenienti regi Ca-
stella, petentique nomine regis in Religiosis
aedibus meritoriam sedem, negare fas fuerit
impune; petenti tamen titulo Comitis Barci-
nonensis, aperire soliti sint.

Sed ne gloriam tuorum bellicam, aut fu-
mosa stemmata tantum laudare videar: ad-
dam & egregium cultae pietatis exemplum.
Refert Rudolphus in Historia Seraphica
Gastonem Moncadam, virum virtutum,
diuina mente perfusum anno 1265. Francis-
canorum Conuentum de Morlas, a funda-
mentis excitasse. Quid attinet plura de
Maiorum tuorum virtute bellis procellisque
probata commemorare, quae viam in caelum
egere, unde & tua plurimum interesse putas

ab ea non degenerare? Et verò non indiges
horum exemplorum ad niniculo, ut te quoque
possis tollere humo, cum in uno optimo pa-
rente tuo perfectiorem habueris & bellicæ for-
titudinis, & omnis humanitatis ideam. Quis
enim nesciat eum togam sago, litteras, in-
quam humaniores armorum studio semper
coniunxisse; usque adeo ut inter castrenses cu-
ras, bonas subinde sibi subtraxerit horas, quò
vitam Severini Boetij in patrium transfun-
deret idioma: quod & tanta præstitit dexte-
ritate, ac dictionis maiestate, quasi litteris
in ipsis natus ac enutritus fuisset.

Hæ principes causæ fuere, per illustris Do-
mine Marchio, quæ me moverunt, ut in hoc
communi iustitio luctuque publico, inter sex-
septimanales omnium Basilicarum in hac ur-
be Palatina mæstissimas compulsationes ipsi
parentarem: Secundariæ quoque fuere, pri-
vatæ necessitudinis & beneficentiæ in me &
Abbatiam Gertrudanam Divi Augustini de
Sancto Victore regulam profitentem effusæ
recordatio & nunquam in animo meo interi-
tura memoria; sed ne prolixior sim vela con-

traho, Deumque venerans rogo, ut te persi-
mitem illi toga saquoque Palladis & Martis
eximiè florentem faciat, & Reip. Christianæ
diutissimè seruet incolumen. Ex adibus no-
stris Abbatialibus Louanij 4. Kal. No-
uemb. 1635.

Excellentissimæ & Illustrissimæ Domina-
tionis tuæ cultor, IOSEPHVS a RYCKEL
Abbas S. Gertrudis.



A D L E C T O R E M.

R Arergon offendes, Lector, in hoc Tractatu. Videbis enim in Emblemate duplicis, immò diuersi generis animalia velut ex Spelunca prodire, & sub manum paludatæ Virginis Matris se dare: biliosa bis die refocillanda, pituitosa semel. Hic cicadas eius solo rore, illic apes eius thymo pasci. Inde omne genus insectorū. Nec lacertas, nec ichneumones, nec quadrupedia terræ, nec volatilia cæli, sed nec feras grandiusculas abarceri. Apologus enim est non absimilis illi, quem tradit liber Iudicum de lignis, quæ ierunt, vt vngerent super se regem rhamnum. Quæ respondit eis, si verè me regem constituitis, venite & sub umbra mea requiescite. Sicut enim rhamnus pro salute subditorum sibi lignorum se discruciat, sic & pro animalculorum reconciliatione & salute (per hæc peccatores intellige) satagit & laborat chlamydata dei parens Augusta. Ostendemus igitur hoc opusculo sub schemate chlamydis Virgi-

Iudic. 9.

B 3 nis

nis in asylum expansæ patere semper refu-
gium curuis in terram animis, ad thro-
num gratiæ eius. Nec enim eos exosos ha-
bet, sine quibus, tot priuilegiis & dotibus
ornata non esset, iuxta illud:

Peccatores non abhorres;

Sine quibus nunquam fores

Tanto digna filio.

Hæc est illa mulier, quam se reperire
posse penè desperabat, qui dicebat: *Mu-
lierem fortem quis inueniet? procul, & de vl-
timis finibus, pretium eius?* Sed benè habet:
quam sapiens non potuit, Angelus inuen-
tricem gratiæ, benedictam inter mulieres,
id est liberam a muliebri mollicie (mulier
enim a mollicie sumitur, quasi mollier,
inquit Petrus Blesensis Serm. 1. de Aduen-
tu) accinctam lumbos fortitudine, & in
brachio extento protegentem & obuelan-
tem fidei suæ commissos. De panthera nar-
rant Physici, quod suauissimum spiret odo-
rem, halituque suo perfundat vicinum
aerem, quo feræ reliquæ potentissimè per-
trahuntur ad sequendam eam. Apophteg-
ma est Virginis-Matris: eius enim nomen

unguentum effusum est: cuius odore sollicitantur ad sequelam adolescentulæ.

Illud adeò Sertorij nobile est, inquit Gellius, Cerua alba, eximia pulchritudinis, viuacissimæ celeritatis, a Lusitano quodam ei dono data est. Hanc sibi oblatam diuinitus, & instinctam Dianæ numine, colloqui secum, monereque & docere, quæ vtilia factu essent, persuadere omnibus instituit. Ac si quid durius videbatur, quod imperandum militibus foret a cerua sese monitum tum prædicabat. Id cum dixerat, vniuersi tanquam si Deo, libentes parebant. Quadam die cerua emissæ, in cubiculum Sertorij introrupit. Clamor factus, & orta admiratio est, eaque hominum Barbarorum credulitas, Sertorio in magnis rebus magno vsui fuit. Memoria proditum est, ex iis nationibus, quæ cum Sertorio faciebant, cum multis præliis superatus esset neminem vnquam ab eo desciuisse, quanquam id genus hominum esset mobilissimum. Nunquid Pelagio minus aliquid obtigit? Legerat for-

Gellius
lib. 15. c.
22.

concludi vel ex hoc disce. tasse:

Prouerb.
5.

tasse: cerua charissima, & gratissimus
hinnulus. Vbera eius inebrient te omni
ni tempore, in amore eius delectare iugiter.
Quare curam omnem & cultum transtulit
ad Virginem Matrem propitiandam; quæ
non malè cerua dicitur, quia sicut cerui-
nus spiritus serpentes e cauernis educit,
ita Pelagium e spelunca saluum & inco-
lumen adeoque victorem repræsentauit.
Eius numine se verè dicere potuit instin-
ctum, vnde nec mirum, quod exercitum
ad omnia facilem semper habuit, & iussis
suis obsequētem. Quis ab eo desciuit vn-
quā? quis negauit in eius potestate se fu-
turum? quis non promptissimè in expedi-
tionem iuit, ipso vel mittēte, vel præcūte?
Tanti refert propitia habuisse numina, vt
absque eis temerarium sit & temulentia
proximum, potentiozem vltro laceffere:
eorum autem adspirante fauore, prona ad
victoriā sunt omnia. Quod in hoc tracta-
tu, Lector, clarè perspicias. Tu tantum
faue, & quam facilè sit ope ac virtute Dei,
in manu paucorum innumeram multitu-
dinem concludi vel ex hoc disce.

ANTISTROPHVM
PROBLEMA
CONSONVMQVE ILLI

*Quod Samson triginta pronubis proposuit
equalibus suis. Iudic. 14.*

Refert Hieremias Drexelius, non
ita diu post memorabilissimam il-
lam anni 1620. victoriam Pragen-
sem, Augustæ Vindelicorum, in eodem
hospitio conuenisse militē vnum Religio-
ne Catholicum, & gente nobilem; alterum
ducem belli e Wittenberga oriundum,
qui rebellium Bohemorum castra seque-
batur. Hic miles: quæso, inquit, strenue
Domine, fas mihi sit quærere, qui tandem
fieri potuerit, vt omnis adeò animus in
pedes vobis conciderit in pugna illa Pra-
genfi? An non vobis, æquè ac Catholicis
copiosus exercitus? an non vobis locus
multò æquior, quam Catholicis? An non
penes vos Moravi equitatus robur? An
non vos tormentorum curulium numero
illic loci superiores? an non fessum Ca-

tholicorum agmen, vos iam disposita per
quietem acie excepistis? An non vobis
vrbs a tergo munimen? vicinum palatiū,
Stella nomine, propugnaculum? Vnde
ergo Catholicis victoria, vobis fuga?
Ignoscat mihi, Domine, tuus genius,
pænē ausim dicere, fæminæ fuistis, quia
noluistis vincere?

Audijt hæc e Wittenberga militiæ dux:
Et, si finisti, inquit, quæ in nos promere
volebas, & me audi. Pugnæ ratio hæc
fuit; nos nec nostras, nec hostium vires
ignorauimus; quis vtrimque numerus
esset legionum, sciuius, & ita equitatum
equitatu, turmas turmis, legionē legioni
opposuimus prout licuit. Certè hic ducum
nec industria potest accusari, nec prudētia:
arma nobis cum hoste paria fuerunt; lo-
cus fateor, nobis æquior, ac opportu-
nior, quam hosti fuit; ex edito pugnaba-
mus in subeuntes. Sed & alia, non nego,
Bôhemorum parti contra Bauarum mili-
tem fauebant: ideoque victoriæ iam ferè
certi, non sicut illi, diu deliberandum de
incun-

ineundo conflictu censuimus; e re nostra esse, visum est plerisque omnibus, *confingere*. At verò post aliquod pugnae felix initium, noua nobis ex aduerso castra stare, gens incognita, & nunquam visa se opponere, legio se ostendere, de qua nihil nobis vnquam innotuit. Hic, mihi crede Domine, ea omnium animos inuasit consternatio, vt nemo nisi fugam coeperit circumspicere: nec est quod quis adeò id nobis vitio vertat, ipsi equi stabant, & tremebant. Mox partes nostrae labare, dein multum inclinare; inde ruere, demum omnes apertissime fugere, & sanè plures e nostris in fuga caesi, quam pugna.

Et quæ autem hæc invisa legio fuit? quæ acies illa incognita? quæ noua castra? nos qui præsentibus fuimus, vetera nouimus, non noua hæc, nisi ea fuerint e caelo: certè nullus militum è formidanda & fulminatrice hac legione stipendium a nostris ducibus vllum exegit. Si Angelos a non nemine nostrorum visos, pro nobis pugnasse dicamus, nimiùm in rem nostram

honorificè locuti videbimur. Sed suum
hosti testimonium non refutamus; nobi-
lissimum veritatis argumentum est, quod
aduersarius suppeditat *fas est, & ab hoste
doceri.*

PROBLEMA II.

Quis Albatus eques ille, qui anno 1622
pridie nonas Maias initium fecit nobilif-
simæ victoriæ a parte Catholica staturæ,
cum Durlacensis Marchio, Georgius Fre-
dericus contra Bauaricam aciem ad Nec-
carum flumen inter Wimpffen & Hail-
brun se ostendisset, magnis copijs, nec
minoribus minis? Nam prædam a se Mo-
nachij in foro breui diuidendam sponde-
bat. Bauariam certè omnem, bonus Mar-
chio spe iam deuorauerat: nec vires de-
erant; miles ei copiosus; multorum mil-
lium censebatur. Atque hic illius exerci-
tus, planè instructissimus fuit ab omni
apparatu bellico. An non tormenta curu-
lia, & maiores balistas tanto numero se-
cum aduexerat, vt ad urbem Parisiorum
oppugnandam, hunc salem apparatus
satis

fatis futurum dixerit is qui hæc omnia oculis spectauit?

Catholicum agmen gemino, sed non adeò numerofo cõstabat milite Tilliano & Hispano, cui Gonfaluus Corduba præerat & vt partes Catholicæ vel ante pugnam vincerentur metu, iis pridie commissi prælij, Durlacensis miles, victoriæ iam certus nuntiarî iussit; operirentur modò diem crastinum; cæsum iri ad vnum omnes, & nec nuntium cladis euasurum.

Igitur vtrîque velitationes præmissæ, consueta prælij exordia. Inde conflictus cæpit acer, vehemens, cruentus, & qui ad sex horas tenuit. Diu anceps stetit victoria. Demum ex equestrium numero vnus prodiit, sed vnde? cuius legionis? terrestris an cælestis? Huic equus non solum niueus, sed adeò pernix & Pegaseus, vt hosti non tam currere, quam volare crederetur. In hunc vnum plures quam quadringentæ plumbeæ glandes conuolabant, a Mosquetariis aduersæ partis emissæ; nulla leſit, sed nec vlla tetigit. Quis illi auctor fuit,

vt ausu incredibili hostilem aciem omnem
preteruectus, a tergo hostium, pulueri tor-
mentario subiiceret ignem? Haud equi-
dem dubium, quin vel vnus aliquis ex Ra-
miri subsidiariis alitibus, vel similis illi
Angelo, qui in castris Sennacherib vna
nocte, in momento, in ictu oculi centum
octoginta quinque millia consumpsit igne
subtercutaneo? Certè vbi hostes volantem
a tergo flammam viderunt, velut ferè in-
dagine clausè, collapsis metu animis, ad
fugam animarunt pedes. Sed vindicem
numinis iram non effugerunt, eoque tunc
numero sunt cæsi, vt campi cadaueribus
strati, lugubri spectaculo docerent, insul-
tantem superbiam detumuisse, minas in
auctorem recidisse: non armis & viribus fi-
dendum esse, sed Deo, Deiparè bellipo-
tenti, & Diuis assessoribus, stipatoribus Dñi
exercituum: quos quia ineunte prælio Pra-
genfi, Carmè inchoante Henrico Fitzsimō
Patre Soc.^{tis} Hiberno ducibusque ipsis res-
pondentibus, constat in vota vocatos fuis-
se, nulli dubium fuit agmen illud impro-
uisum

uisum hostibus obiectum, ab eis aduenis-
se. An non & meritis Consalvi Cordu-
bensis tribuendum, quod albatus eques
ille laborantibus Hispanis venit in auxi-
lium, a præfide belli Deipara fortè submis-
sus? Nec paradoxum id cuiquam videbi-
tur, qui meminerit præstantissimo Duci per-
petuum in ore fuisse: *Madre de Dios*; qui
castitatem eius virginiam, & cæteras vir-
tutes nouerit. Sin verò creditur vnus ex
immortalibus (quales apud Turcas & Per-
fas nonnulli vana nomenclatura infig-
niuntur) vbi tandem hic Bellerophon fa-
cinoris illius præclarissimi præmium po-
poscit? sub quo duce, sub quibus signis sti-
pendia fecit? vbi candidissimus ille equus
post hac conspectus? cui duci se stitit seffor
ille melior Perseo & Bellerophonte?


PROBLEMA III.

Quis Sinonem vBelgicum in viscera
Reip. conspirantem Hispanosque posses-
sionibus auitis Belgicis exturbare paran-
tem, ab ipso lare Principis exorsum Sacra-
menta perfidiæ plena petere, Cethegos &
Cati-


Catilinarios factiosos vndique conscribere, Principes in interitum regis & Religionis armantem, & sub mansuetissimo Isabellæ Infantis imperio tyrannidis odiosum nomen confingentem detexit, prodidit, ostendit, ac perduellionis, læsæque Maiestatis reum fecit? An non Angelus belli sacri Belgici præses? An non Genius tuus bonus, Excellentissime Marchio, Franciscæ Moncada (patere me tecum, & ad te vocem hanc extremam efferre, tametsi necessitate fati constrictum iam silentem) cuius singularis virtus & peruigil in omnem partem oculus ita semper hostium denudauit arcana, nihil vt illis tutum sub tuis vnus oculis fuerit. Quanta enim tua vigilantia & celeritas in subigendo Mosa flumine, & occupando Bucinio, quod Gallis prodere moliebatur Geryon ille tricorpor! Vnde & ex hac paratissima prodicione disturbata tantum fame, respondentemque generi tuo gloriam collegisse te, quantam olim Comitum Fontium ex agro, vrbe, arce Camera-cenate subacta, quis non consentiat?



*Ilæc est illa Dei genitrix, morale viarum
Principium illius, cui præit ipsa salus.*



Faint, illegible text or markings, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



SERENISSIMO PRINCIPI
DEIPARÆ MANCIPI
FERDINANDO
AUSTRIO,

Supremo Belgarum Moderatori; quem pu-
blicæ cura salutis in extimas Prouincias
nuper auerterat, nunc tandem reduci,
exercitumque saluum & incolumem in
hiberna reportanti; sed heu! super inte-
ritu duorum maximorum Ducum Ay-
tonæ & Lermæ, mærenti, luctum exi-
mit lex fatorum, & spes status indepti,
(ad quem per mortē illis iter fuit) om-
nium bonorum aggregatione perfecti.



*Q*uem nuper horrens Gallo-Batavicus
Conspexit ostro & puluere nobilem
Exercitus tutum inter arma,
Austriaca decus o! Corona.

Mors inuidendo lente laceßijt

Te Ferdinande, o maxima Belgicæ

Tutela, Montcadam atque Larmam
Surrapiens tuum utrumque Achatem.
Valete terra, tuque vale mare
Olim utriusque nobilis area,
Æternitatem qua petebat
Navibus hic, & Equestris ille.
Quis insidentem vidit equo Ducem,
Vel inferentem fortè pedi pedem,
Quem non cataphractus moveret
Tantus equi hic domitor, vel ille?
Quas non procellas hic domuit? cui
Non vincla vento, vel rabido mari
Iniecit, & magna coegit
Imperium tolerare classis?
Æternitatis nonne sator fuit,
Qui nomen orbi perpetuum intulit,
Quocumque circumvexit arma
Arma tremenda feris Batavis?
An non ab arce fulmen Olympica,
Aut flammam ab Ætna, aut monte Vesuvio
Micare iurasses fragore
Horribili, quoties in hostem.
Duxisset alter Dux eques aut pedes?
Ergone Atlas hic vivere desiit?

Inex-

*Inexplicabilis iugisque
Ista mihi seges est doloris.
Vterque regis iussa capessere,
Libare regi prospera, nil sibi
Studere suetus, indigere, ac
Cuncta sinisteriora malle.
Sic Christiano vivere nomini:
Sic militare, non mihi, sed tibi
Pauca per horas mavelim, quam
Secula tota negotiari.*

Josephus Claudius Waha Canonicus Re-
gularis Ord. S. Augustini de S. Victore.





SYLLABVS

PARAGRAPHORVM.

P Roblemata seu prolegomena.	
Occasio celebrata Spelunca de Couadonga: Maurorum in Hispanias irruptio	pag. 1.
Occasio vastitatis Hispanicae	pag. 2.
Roderici ultimi Gothorum regis exitus	pag. 4.
Hispaniarum communis calamitas	pag. 6.
Mozarabes	pag. 8.
Ira numinis in Arabes versa	pag. 9.
Vindex generis & gentis suae Pelagius	pag. 11.
Spelunca B. Mariae de Couadonga	pag. 14.
Solemnis Pelagij vox & oratio ad B. Virginem	pag. 16.
Legatio & Oratio Oppae praesulis Hispalensis.	pag. 19.
Pelagij ad Oppam reciproca Oratio	pag. 21.
Excubiae sacrae Pelagij	pag. 23.
Quis fuerit exitus obsidionis	pag. 25.
Usus & fructus victoriae	pag. 28.
Auspicia noui regni in perpetuum fundandi	pag. 30.
Dedicatio Speluncae	pag. 32.
Prosopopœia ad eandem Speluncam	pag. 35.
An in hac Spelunca mystocheium fuerit	pag. 37.

<i>De alia Spelunca, quam Itali Capellam vocant</i>	
	pag. 40.
<i>Emblemata varia fol. 42. & sequentibus</i>	
<i>Emblematis recapitulatio</i>	pag. 79.
<i>Solitudo Asturiarum a quibus culta</i>	pag. 80.
<i>Urbanus Toletanus antistes in Asturias migrat</i>	
	pag. 81.
<i>An S. Iacobus Apostolus Asturias inuiserit</i>	pag. 82.
<i>Epistola ad Hæbreos, ad quos scripta? an ad Astures?</i>	
	pag. 85.
<i>S. Pelagij reliquæ actiones</i>	pag. 87.
<i>Pelagij maiestas auctior</i>	pag. 88.
<i>Pelagij virtutes togatæ</i>	pag. 89.
<i>Oueti an Legionem regnauerit</i>	pag. 91.
<i>Series regum Legionensium Pelagij successorum</i>	
	pag. 91.
<i>Apostrophe ad Pelagium sanctum</i>	pag. 102.
<i>Synchrona</i>	pag. 105.
<i>Pelagij supparet & æquales</i>	pag. 107.
<i>Teuthonica militiæ idea</i>	pag. 117.

ERRA-

ERRATA.

<p>In Dedicat. artitrium, lege arbitrium.</p> <p>In eadem: quacunque, lege quacunque.</p> <p>In epist. ad Lect. infectorum, lege infectorum.</p> <p>Ibidem, post Angelus, adde, inuenit.</p> <p>Ibidem omni ni, delendum ni.</p> <p>Ante Pelagium dele punctum.</p> <p>In effigie Pyramidum: discrimine, discrimini.</p> <p>In Carmine præcesque, precesque.</p> <p>Pag. 18. ducere, duceret. nullam nullam.</p> <p>Pag. 30. Maurom Maurorum.</p> <p>Pag. 32. & dio, est dio.</p> <p>Pag. 34. fide & Relig. fidei.</p>	<p>Pag. 42. grandeaque, grandiaque.</p> <p>Pag. 59. lin. 1. adde illam.</p> <p>Pag. 74. pipeantes pipientes.</p> <p>Pag. 79. & in eos, in eis tradux.</p> <p>Pag. 91. Mahumetifis, Mahumetistis. ibid. curanere, curauere. ibid. inauguratus.</p> <p>Pag. 97. concedit, condidit.</p> <p>Pag. 117. ortem, orbem vtrumque.</p> <p>Pag. 119. sæque, sæpe. ibid. sententia, sentina.</p> <p>Pag. 121. Aberti, Alberte.</p> <p>Pag. 123. cruci, cruce.</p> <p>Pag. 124. credere cedere.</p> <p>Pag. 131. Constant. magni, a Const. Mag.</p> <p>Pag. 132. ea quo facilo, ex quo facile.</p>
--	--

TRIBVS


Pag. 102.

Pag. 102.

Pag. 107.

Pag. 117.

ERRA.



*Cor meum diligit Principes Israel, qui propria
voluntate obtulistis vos discrimine benedicite Domino.
Iudicum. 5.*

TRIBVS NOSTRI
SÆCVLI MACHABÆIS:
FRANCISCO DE MONCADA,
GONSALVO DE CORDVBA
NEC NON
MAGNO DVCI DE FERIA:

Qui pugnando, cunctando, arte Imperatoria per vtramque
Germaniam restiterunt hostibus, & restituerunt rem; at nu-
per heu! in medio gloriæ cursu in fata concesserunt, hoc
pyramidale suffragiorum monumentum ponebat Gerardus
Antonius a Ryckel.

Qui patris in vultus descendis, & ore parentem
Ingenioque refers, Marchio maior avis:

D Familia

Familiae spes certā tuæ Guilielme Remunde
Ritè parentasti, si libet, ire licet.
Septem Pyramidum statuisti insigne, precesque,
Ieiunosque dies, funereasque dapes.
Et vos, ite pares Anima, quos dextera bello
Fecerat inuictos, Relligioque pios
Ite per Elysiās sedes, loca sacra silentum,
Vos ubi certa manet post pia fata quies.
Mismus inferias suffragia lecta piorum,
Omnibus ex aris Vota præcesque fluunt.
Psallit & ad modulos Chorus, officiumque frequentat:
Vestra pro requie nec vigilare graue est.
Sportula mendicæ datur ad prætoria turba:
Omnibus ex urbis turribus æra crepant
Ut requiem functis refrigeriumque fidele
Conciliant Animis, & sine nube dies,
Æternam lucem, quam non interpolet ulla
Nox tenebrescenti semper amica Stygi.



OCCASIO CELEBRATÆ
SPELVNCÆ
DE
COVADONGA:
MAVROVVM IN
HISPANIAS IRRVPTIO



DE Spelunca B. Mariæ verba facturus, necessarium existimaui rem omnem paulò altius arcessere. Igitur de originali Maurorum in Hispanias irruptione sermo nobis erit.

IESVS sempiternus sacerdos & dominus, qui sterilem illam ficum Euangelicam ad annum vsque tertium iussit asseruari, postquam interminatio nihil profuit; ad excidendam arborem, agrestem tandem manum adduxit. In Hispanias, inquam, illuuiem Barbarorum immisit, vt horrendam illam profunditatem scelerum, ex qua omnis impietas existit, quæ omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, inundatione bellorum aboleret. Quo tempore impleta videtur illa Ieremiæ denuntiatio: dorsum & non faciem ostendam eis in die perdi-

tionis eorum. Et illud regij Prophetæ: Oculi eius super gentes respiciunt. Et quamuis ad prouidentiam eius pertineat, non statim, nec semper hic omnia punire, sed finire res humanas suis agi motibus, præcipuâ vindictâ in futurum dilatâ; cum certum sit, si pro meritis omnia flagitia plecteret, sicut facit prouidentia politica, breui mundum fore exhaustum. Tamen quia in illo vices alternant vindicta & misericordia, necessariò quandoque patientia læsa profilit ad ultionem: & instat torrentis ignei e montibus in plana decurrentis, inuoluit ima summis, excelsum pariter & humile regnum. Quod in illa irruptione Maurorum in Hispanias manifestè patuit. Cuius causas breuiter, & quo fonte derivata clades in patriam populumque fluxerit aperiam; moxque ad restorationis eius initia recurram.

§. 2.

Occasio vastitatis Hispanice.

Annus agebatur 701. cum defuncto Hispaniarum rege Egica, filius eius Witiza, qui cum patre annos quinque hæcenus regnauerat, solus regnare cæpit. Hic ex moderato Principe factus est postmodum legum, morum, & naturæ totius inimicus. Nam omnibus scædens vitiis, hostis iustitiæ, seruus impietatis, tyrannidis quam juris auidior, seipsum vna cum suis præcipitem

pitern in omne facinus egit, & ianuam barbaris aperuit, qua in omnem Hispaniam, & post in Galliam incumberent. Velut enim ingentis erectæ molis ædificium quodlibet regnum non immeritò dixeris: cuius cum aperiri murorum compages videris, & proximè ruiturum intelligis, eius vtique defecisse fundamentum, basesque cessisse, locumque patenti ruinæ dedisse prudenter affirmaueris. Id quidem in regnis omnibus sæpius accidisse, innumeris exemplis demonstrant Baronius & Thomas Bozius: aiuntque ex eo potissimum capite id prouenire, quod ab vnione Catholica, primarijque Antistitis obedientia populi desciscat.

Accidit autem hoc ipsum florentissimo Hispaniarum regno: cum impius Witiza nefandum illud Edictum euomuit, apposito capitali supplicio, ne quis Romano pareret Episcopo. Quod partim interminationibus, partim blanditijs euicit. Verum id admiratione maxima dignum est, quod ex tot Episcoporum & Doctorum virorum numero non fuerit qui se opponeret edicto furoris pleno. Et ideò non immeritò sequuta est illa Sacerdotum æquè ac populi fæda seruitus. Causam tam grauis abalienationis hanc vnã tradit idem Baronius, quod Hispaniæ regnum Witiza indignè ferret Romano Pontifici tributarium esse. Cæterum qui res Hispaniæ prosequuti sunt, Lucas Tudensis, & alij: flagitia Witizæ plura commemorant. Iste probrosus & flagitiosus fuit, inquit Tuden-

4
sus, & multa nefanda ac horribilia per Hispanias se-
minavit: & ad voluptates carnis, soluto impudicitiae
fræno, se fornicationibus multis dedit, ac gentem
Gothorum ad lasciuiam, luxuriam, & superbiam in-
clinavit. Despiciebantur sancti Patris Isidori instituta,
Concilia, Canones. His addendum, quod cæliba-
tum sustulerit Sacerdotum, pessimo veniens in æuum
exemplo. Muros insuper cunctarum civitatum euer-
tit, Asturiensis & Toletanæ dumtaxat exceptis. Sed
nec a sanguine & cæde nobilium sibi temperavit.
Cæsi sunt igitur ab eo Theodefridus dux Corduben-
sis, & Fauila dux Cantabriæ germanus eius. Pelagium
autem fuga subtraxit. Proscripsit & Iulianum To-
letanum præfulem, vt Oppam, tardum & hebe-
tem, contra sanctiones Canonum gemino ditaret Sa-
cerdotio Hispalensi, & Toletano. Cetera eius crimina
quis enumeret? Huic successit Rodericus, vltimus His-
paniæ Gothicæ rex, de quo in consequentibus agendū.

§. 3.

*Roderici vltimi Gothorum regis exitus, &
regni simul eversio.*




Hic ob illatum vitium Cauæ Iuliani Comi-
tis filia seiplum ac Remp. perdidit: non
minus quam nostro rēpore Henricus VIII.
Angliæ rex sex vxorum vir seu maritus.
Per id tempus Saracenorum arma toto orbe volita-
bant

5
bant: a quibus & Heraclius, & Persæ diu Princeps ac
gravis populus, Asia denique & Africa ferè tota depu-
tata erat in purgamenta stuppæ, quæ leui voratur in-
cendio. Hos in ultionem stupri Iulianus Comes ex
Africa statuit evocare. Nec difficiles illos vindices ha-
buit. Mox igitur vt auxiliarem manum ab eis accepit,
eum prorsus in modum Hispaniis incubuit, & infe-
stus esse cepit, quo grando frugibus, quo sidus turbi-
dum arboribus, armentisque pestilens vastitas, & na-
vigis sæua tempestas. Missus obviam eis Roderici re-
gis filius cum parte exercitus ab eis cæsus est. Inde pa-
refacta claustra Tingitanæ limitaneæ Prouinciæ, cuius
Iulianus custos constitutus fuerat: Nec in illo vestigio
diu restiterunt, sed inuitante Iuliano, ad letale conta-
gium, ad intima regni penetrant. Quod vbi Roderi-
cus sensit, maximo delectu militum habito, immò
totius Hispaniæ collectis viribus, aduersus eos mo-
uet. Continuis octo diebus, iisdem vestigiis dimica-
tum est, æquata ferè clade, neutro victoria inclinan-
te; & verò Gothis prisca virtus in præcordia redit.
Rex ipse conciliandæ maiestati, curru vectus ebur-
neo, præsentissimè suis aderat, vt vniuscuiusque vir-
tutis testis esset. Sed cum bellum ingrauescere, suos-
que laborare vidit, consenso equo medium se in
hostes intulit. Et poterat non impar hostibus haberi,
si Witizæ filij, quibus cornua exercitus commiserat,
Oppas quoque in officio fuissent: nam Mauri loco-
moti.

moti iam virtute Gothis cedebant, & ad fugam respectare videbantur. Sed proditus, vel certè desertus a perduellibus succubuit, incertum tamen an in fuga, vel prælio ceciderit. In hoc conflictu nobilitas præcipua Gothorum internecone deleta est. Totaque Hispania Gothica, Asturibus exceptis & Pyreneis montibus, in ditionem Saracenorum, trium mensium spatio concessit. Nec incruenta, vel sine nube Mauris fuit victoria: desiderata sunt ex eis milia sedecim. Atque hunc in modum, fato capta est Hispania.

§. 4.

Hispaniarum communis calamitas.

 Ecundum hæc Saraceni præfectos per omnes Hispaniæ Prouincias posuerunt, qui & pluribus annis tributa exegerunt. Cordubam autem sedem sibi delegerunt, cuius basilicas omnes, & Sacerdotia venalia proposuerunt. De his ita S. Eulogius Martyr. lib. 1. num. 12. *Nullam opinantes esse molestiam direptiones basilicarum, opprobria sacerdotum, & quod lunariter soluimus cum graui merore tributum; adeò ut expetibilius nobis sit compendium mortis, quàm egentissima vitæ laboriosum discrimen.* Inter Spolia urbium, & donaria Ecclesiarum, quæ fiscus rapuit, mensam etiam Smaragdinam immensæ magnitudinis atque ingen-

tis

tis prorsus ac inæstimabilis pretij suam fecit. Insignis
 is annus fuit expugnatione tot urbium, morte præ-
 stantissimorum ducum, & exilio ac proscriptionibus
 miserabilium Christi sacerdotum.

Extat threnus, seu planctus sanctorum de infelici-
 tate horum temporum: *Ecce* (inquit a Baro-
 nio citatus) *lex publica pendet, & legalia iussa per
 omne regnum discurrunt, ut qui blasphemaueris
 (Mahometum scilicet, & ad eum pertinentes) flagel-
 letur & qui percusserit, occidatur. Et ecce, quoti-
 die horis diurnis & nocturnis in turribus suis & mon-
 tibus caliginosis Dominum maledicunt, dum vatem
 impudicum, periurum, rabidum, & iniquum una
 cum Domino testimonij voce extollunt. Ita illi in
 superstitionis eorum cultu tuendo & ampliando.
 Quæ autem & quanta pati Solerent, ita prosequitur:
 Quotidie opprobriis & mille contumeliarum fasci-
 bus obruti persecutionem nos dicimus non habere?
 Nam ut alia taceam, certè dum defunctorum cor-
 pora a sacerdotibus vident, ut mos est Ecclesiasti-
 cus, humana portari; nonne apertis vocibus & im-
 purissimis gemitibus dicunt: Deus non miserearis il-
 lis? & lapidibus Sacerdotes Domini impetentes,
 ignominiosis verbis populum Domini denotantes,
 spurcitiarum fimo Christicolas transeuntes pedore
 infando aspergunt, maiora minitando ringentes?
 Et Paulò post: Sic itidem & cum Sacerdotes Dei ca-*

su quoquam cuiquam obuiauerint per viam, lapides coram ipsis cumulantes, testasque aridissimas ante vestigia eorum reuoluentes, ac improperioso & infami nomine derogantes, vulgari prouerbio, & cantico inhonesto sugillant, & fidei signum opprobrioso elogio detruncant: Subdit Baronius: Quod autem sinerent Saraceni quae remanserant templa aperta esse, & a Christianis ad libitum frequentari; id inde prouenit, quod magnam ex his pecuniam corra-
debant, non annua ab eis tributa exigentes, sed menstrua.

S. 5.

Mozarabes.



EX hac commixtione fidelium cum infidelibus Saracenis, natum est vocabulum Mozarabum. Sic enim dicti sunt Christiani, qui mixti Arabibus viuebant. Quibus & Officium Ecclesiasticum proprium fuit, quod hodieque Mozarabe dicitur, a S. Leandro & Isidoro digestum: quo etiam omnis Hispania vsa est, vsque ad tempora Alphonsi sexti: quo tempore, auctoritate Gregorij Papae 7. mutatum est. Afferuatur hodie Toleti in sex paræcijs, inquit Valæus in Chronico. Porro ex quotidiana, quam patiebantur ab infidelibus vexatione, fiebat vt reuocati in vnum fideles, post inexplebiles lachrymas, omnia post religionem ponenda

9
da decernerent, statuerentque dedecus apostasiæ citā
potius morte declinare, quam vel ad latum vnguem
vnquam a fide desciscere. Tunc & scissæ studia in
contraria voluntates coalescebant, iniuriæ veteres &
odia in immortale silentium deducebantur: incutie-
batur in super de neglecta religione pænitentia. Exin-
de repudium factionibus dictum: & Dei beneficium
interpretabantur, quod dignam in præsentī sæculo,
potius quàm in futuro suæ impietatis mercedem tu-
lissent. Superbiam, saturitatem panis, rerum omnium
abundantiam, otium & delicias præteritas, quæ sunt
sæcularia & sodomitica peccata, iustissimè præsentī-
bus ærumnis vindicari fatebantur. Et post hæc om-
nia dicebant Deo cum Isaia: *posside nos.*

S. 6.

Ira numinis in Arabes versa.

DEus, a cuius conspectu nihil remotum est,
cernens ingemiscentem orientem & Oc-
cidentem sub immani tyrannide Sarace-
norum, consideransque laborem & dolo-
rem pænitentis populi sui, paulatim ad clementiam
flecti cæpit, stillans in eos initium aliquod misericor-
diæ suæ. Et verò laborabant vehementer afflictæ res
Romani Imperij; sic enim Beda testatur: *Saraceni,*
inquit, *cum immenso exercitu Constantinopolis ve-*

nientes, triennio civitatem obsident, donec civibus
 multa instantia ad Deum clamantibus, plurimi eo-
 rum fame, frigore, pestilentia perirent, ac sic pertæsi
 obsidionis abscederent. Qui inde digressi, Bulgaro-
 rum gentem, quæ est super Danubium, bello aggre-
 diuntur, & ab hac quoque victi refugiunt, ac naues
 repetunt suas. Quibus cum altum peterent, ingruen-
 te plurimum tempestate, plurimi etiam mersis siue
 con fractis per littora nauibus sunt necati. His con-
 sentanea tradit Teophanes, qui 15. Indictione, 19.
 Kal. Septembris id accidisse memorat: tum enim
 Musalma Princeps Saracenorum Constantinopolim
 obsidere cœpit, adiuncto sibi Zulcimino Arabum
 Duce. Imperator, inquit, igniferis nauibus contra eos
 directis, ab Agyropoli, diuina ope aduersarias classes
 igne consumpsit. Et aliæ quidem ex eis ad ripæ mu-
 ros proiectæ sunt: aliæ verò vna cum hominibus in
 profundum demersæ sunt. Porro aliæ vsque ad acu-
 tam & latam insulam consumptæ portatæque sunt.
 Hi ergo qui erant in vrbe fiduciam perceperunt: at
 hostes magno pauore concussi sunt, cognoscentes
 efficacissimam ignis operationem. Volebant enim
 eadem die vesperi ad muros applicare stationem, & te-
 mones supra propugnaculum ponere sed consilium
 eorum dissipauit omnipotens, per intercessionem ca-
 stissimæ genitricis eius Mariæ. Hæc Theophanes.
 Erat populus ille Dei genitricis studiosissimus cultor,
 cuius

cuius ope quam sæpissimè fuit vrbs a Barbaris liberata.

Sed non hic finis iræ & indignationis diuinæ in Arabes versæ. Addit quippe Baronius hoc eodem anno post omnia ista accidisse, vt duæ classes Saracenorum, quarum altera soluerat ex Ægypto, ex Africa verò altera, quibus annona deferrebat obsidentibus urbem, pariter malè perierint, missis ab Imperatore contra vtramque classem igniferis nauibus, de quibus rursus idem Theophanes. Cum Deo cooperante, per intercessionem intemeratæ Dei genitricis Mariæ protinus submersi sunt inimici, & assumptis spoliis nostri, & expensis eorum, annona videlicet, cum gaudio sunt reuersi. Tunc & qui in stationibus erant Saraceni obsidentes urbem destituti annona, fame & peste perire, trucidatis ex illis etiam millibus multis.

Cum tot tantaque atrocità vnà simul passi sunt Saraceni, experimento didicerunt, quia Deus, & sanctissima Virgo Dei mater MARIA hanc muniunt urbem, & Christianorum Imperatorem, & non est omnimoda dimissio Dei in iis, qui inuocant in veritate, licet admodum castigemur propter peccata. Meminit & D. Gregorius huius obsidionis, additque venerandam effigiem Deiparæ tunc supra muros solemnibus ritibus circumductam, & sic ab imminenti periculo ciuitatem fuisse liberatam.

Hæc in Oriente patiebantur Saraceni. Quid autem in Occidente passi sint ab irato item numine, & exercitu Pelagij, libet altius commemorare.

§. 7.

Vindex generis & gentis suæ Pelagius.

Um per ea tempora videretur Ecclesia Hispanica Gothica a vita, & vitæ actibus relicta; ex palmæ ingenio, quæ quanto plus premitur, tanto assurgit magis, capit caput rursus attollere: & quamuis nemo tum aperte vindicem se profiteri tutum duceret (excedebat enim hoc vires infelicitatis eorum) confisa tamen in miserationibus Christi & deiparæ, cui proprium est priuationi ad habitum dare accessum, a tyrannidis iugo reliquias Gothorum vindicare adnixa est. Et cum in tenui fortuna præsidium sufficiens ad bellum apertum non daretur, (nam miserrimo & patientissimo populo Dei semper omnia ad necessarium usum hætenus defuerant) temen prædatorium globum exlatebris, & actos laribus suis extorres, euntesque quòmetus iustus & dolor impulisset, eduxit Pelagius in spem libertatis. Erat Pelagius Ducis Cantabri filius, Roderici quondam regis spatarius, vir magni spiritus, addictior Deo & Deiparæ, quàm Principi suus cliens; cui & cresceret animus in ipsa rerum difficultate, & diem periisse putaret, qui illum sine facinore in hostes edito fugisset. Hic igitur commanipulatione facta secessit in Astures, demagogum se professus, exhibens

hibens robore, vigilantia, prosperitate principem, verumque sui temporis Camillum; paratus etiam Thrasibulum exhibere, qui patriam a triginta tyrannis liberavit. Nec Leonide quidem inferior, de quo memoratu dignissimum illud circumfertur, quod cum 300. expeditis Laconibus in castra Xerxis irrupturus esset, & rogaretur ab Ephoris num quid vellet; ego, inquit, nomine tenus vado, quasi pro Græcis pugnaturus, sed re ipsa pro patria moriturus. Et ad suos conversus, prandete, ait commilitones quasi apud inferos cœnaturi. Talis quoque Pelagij sententia, par forma fuit, atque fortuna, qui cum cælestibus adiutus auspiciis, Astures suos ad signa militaria pulchra pro libertate conuocaret, opum & imperij appetitu sedato, dotem hanc suam vnicam & suorum esse debere contestatus est, defendere patriam, & cum virtutibus amare famam: qua propter & necessitatem vindicandæ Reip. in virtutem voluntatemque conflavit. Hic igitur inter pericula solus timere nescius, occupatis felici omine montis Ausenæ præcipitiis, tela primum, armaque colligit, tum & in Cantabriam dimittit, subsidio futuros, vbi res & tempus poposcisset. Exinde in Spelunca quadam statuit stationem, de qua nunc futurus est agendum.

Spelun-

*Spelunca B. Mariae de Coua donga seu
Cueva donga.*



St cauea quædam in latere montis Ause-
næ, diuino quasi circino seu artificio, rupe
in expugnabili circumclusa, vix mille ho-
minum capax. Hanc occupauit Pelagius
non minori prudentia & audacia quàm Alexander
intra Sudracarum saltu delatus, arboris obice poste-
riora tutatus, contrarios facilius sustinuit. In hac Spe-
lunca conclusus, & cana consilia secum meditatus,
ne propositum bellandi vis vlla temeraret aut ætas
inualida de infirmitatibus semper querula de constan-
tia expeditionis aliquid remitteret, concionem aduo-
cauit, tuncque in hunc ferè sensum verba fecit. Qui
militiæ cingulo detinentur, milites, pro Christo, pro
Patria mori ludum putant, si cogitent primam reli-
gionis debere esse militiam. Pro qua vulnerari, dura
& acerba pati leue semper fuit Christiano. Angusta,
sat scio, est hæc Spelunca vestræ fortitudini, optaretis-
que vobis Marathonios aliquos campos aperiri: sed
credite mihi vis vnita fortior est quàm dispersa. Dare
& haurire sanguinem in votis esset? Sed expendite
quis dixerit: vis consilij expers mole ruit sua, vim tem-
peratam Deus quoque promouet iu maius. Qui im-
peritè

peritè se totos effundunt in hostem, similes sunt statuariis, qui existimant colossos suos magnos & venustos futuros, si inflatos & hiantes fecerint, & tibiis quam maximè diductis: at prudentia militaris aliud nos docuit, iungere nempe pedi pedem, densumque viro virum. Vir fortis opus arduum sibi cupit præcipi, satis & hoc scimus, sicut ille dignam venabulo suo feram:

Spumantemque dari pecora inter inertia, votis Virgilius
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

At Deus moresque dabunt vestri, tantum plumbeas iras ne remittite. Satius est laneo pede ad victoriam incedere, & brachiis ferreis, quam leuibus pennis in omnem ventum volubilis pugnae discurrere, & vanè suam fortitudinem consumere. Theognides quidam cum videret tumentem ciuitatem: vterum, inquit, fert hæc ciuitas, paritura quandoque correctorem insolentiæ hostilis. Idem ausim affirmare de hac cauea: tumet, non timet, & intra viscera sua tot correctores habet Mauricæ leuitatis, quot hic video viros. Vos profectò, si viri estis comparat ipsa Salus Domui æternæ firmitatis: de qua dicit, quod venerunt flumina, & flauerunt venti, irrueruntque in Domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra firmam petram. Videtis hanc colluuiem Barbararum gentium contra nos venientem? Venti sunt, quorum flatus in manu Dei est; nec aliquid amplius in nos

F possunt,

possunt, quam quod Deus, cui curæ sumus, illis fas esse voluerit. Pluuiæ sunt, sed a petrosa ira densæ contra eos mittentur grandines, si Deum & Deiparam, vt capimus, votis nuncupatis in auxilium nostrum aduocabimus. Turpe est, milites, cedere oneri belli, & luctari cum loco, quem semel occupauerimus. Proinde si timor animos sollicitat, & de tuenda hac arce desperatio subit: sursum porrigite lumina, videte, in excelsis est vita & victoria: adeoque nihil est, quod Deo & Deipara propitiante, non propugnet pertinax opera. Neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore: nam alterum athletarum est, alterum inertium. Hoc igitur agamus; iugi peruigilio, precibus, & votis in cælum fuis, numen nobis conciliemus. Ad puluinaria Deiparæ tutelaris nostræ nudipedalia frequentemus, & post hæc speremus illam memorem fandi atque nefandi. Quod vbi Pelagius dixit, ad Diuam primus ipse conuersus, talem habuit orationem.

§. 9.

*Solemnis Pelagij vox & oratio ad
B. Virginem.*



Tudium loquendi cessare debet, o Virgo, quando qui loquimur & clamamus ad te scimus te scire omnia, & nullam te latere posse necessitatem præsentis horæ. Tamen quando in hæc incidimus tempora, quibus Deus tacet

tacet impio deuorante iustiorē se, tuque vidēris in
 hanc eandem adducta dissimulationem propter pec-
 cata nostra, cogimur ad te duplices & palmas & pre-
 ces tendere, poscentes opem vtriusque. Quod si forte
 dormit Dominus maiestatis in hac, qua iactamur tem-
 pestate bellorum: tibi ius suscitandi competit. Nos
 autem ante ingressum tabernaculi admirabilis gē-
 tibus perstrepentes, inquietudinem arte molie-
 mur, vt non ab excitantibus, sed a sonantibus euigi-
 let. Quis enim audeat præter te cubiculum virtutis
 eius pulsando, aut intrando aperire? Respice, rogamus
 te, super castra detestabilium nationum, vide abo-
 minatam gentem, & exoletorum hostium tuorum
 acies, sicut olim in typo respexisti super castra Ægyp-
 tiorum. Tu enim columna ignis & nubis es, de qua le-
 gimus, quod aduentante vigilia matutina, respiciens
 Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam
 ignis & nubis: interfecit exercitum eorum, & subuer-
 tit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Ea-
 dem adhuc in manu tua potestas est, & in circuitu tuo
 tempestas valida. Incute vim precibus nostris, vt non
 tam iaculis quam verbis oris & orationis nostræ, vel
 certè reflexis in se telis suis prosternantur. Apud te
 sunt armatæ hyemes, & tibi sub est, cum volueris, pos-
 se. Quod si te propitia prosperè pugnabimus, tum
 ego manubias appendam tholo tuo, speluncamque
 hanc dedicabo.

Hæc atque alia his non dissentanea plura precatu
 Pelagius non admodum difficiles cælitum aures ha
 buit. Nec opus habuit genua eorum incerare vt mos
 olim fuit cùm votum quisque suum ceratis inscriptum
 tabulis deorum genibus affigebat: sed mox vt votum
 nuncupauit, Angelus testis orationis in conspectu
 gloriæ magni Dei recitauit, ac in fastos retulit. Ex illo
 die non minima spes redintegrandæ libertatis animo
 eius celitus allapsa est: quamuis nec sperare tutum du
 cere, absque salubri desperatione, nec desperare sine
 Spe, quando & illud subinde quoque verum est: *Vna
 salus victis nullam sperare salutem.* Succurrere po
 tuit illi commentarius ille D. Hieronymi ad figendam
 in Deo Spem certam, qui sic in illud Isaia: *Custos quid
 de nocte,* dissuauatur: Qui obsidetur in Seir meum
 implorat auxilium, & dicit: O custos Israel, qui popu
 lum tuum tueris custodia sempiterna, & quasi in no
 cte illis dormientibus vigilas ne hostis irrumpat, qua
 re & nos non simili clementia protegis? Quibus ego
 vigil custosque respondeo, de quo scriptum est: non
 dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel: venit
 manè populo meo, & nox genti Idumæorum; illis
 præbebo lucem, & vos in tenebris derelinquam.

D. Hie
 xonymus

Legat

*Legatio & Oratio Oppæ præfulis Hispalensis
ad Pelagium.*

DUm Pelagius hæc meditatur, nuntiatur interim eius defectio Alchamæ Mauritanicæ militiæ præfecto, qui ex Africa cum Tarifio venerat. Ad quam reprimendam mox delectam habuit, animo reputans, parvam sæpe scintillam contemptam maximum excitasse incendium, quod & hic facile euenire posse iudicabat, nisi mature cæptis seditiosorum obuiam iret. Quapropter contractis vndique Mauricis copiis mouit in Astures. Sed cum non ignoraret aditus malignos esse, bellumque palmare futurum & immedicabile, cum desperata fuerit venia & salus, decreuit instituta legatione tentare animos coniuratorum. Itaque missus est ad eos Oppas Hispalensis antistes, si fortè pro ea qua fungebatur sacerdotij auctoritate & munere, tumultuantes ad officium reuocare queat. Profectus ille peruenit ad Speluncam, tumque e mulo, cui insidebat verba fecit in hunc ferè modum. Quanta, Pelagi, fuerit olim gloria gentis nostræ neque tu ignoras. Tam remota est ab hac commemoratione felicitatis antiquæ nostræ conditio, vt lassata suæ sortis onere merè spem omnem proiicere, vel præcipitare debeat. Magnam or-

bis partem armis olim peruagati sumus: occupauimus fortunam atque cepimus, omnesque aditus in Celtiberiam interclusisse malignis numinibus videbamur. Nuper autem instabilitatem rerum humanarum experti, bis magno, non praelio tantum, sed & bello victi sumus. Et qui rebus nostris integris pares hostibus non fuimus, qua tandem ratione victores superare te posse confidis? At mihi quidem nec ipsa salus si uelit, saluare te posse videtur. Quin igitur mentem istam abiicis, & dum clementiae non omnis adhuc interclusus est aditus, ad victorem Alchamam mecum pergis, teque Mauris rerum Dominis permittis? Quin Hispaniae sanioris potius, quam paucorum Asturum sequeris iudicium & exemplum! Quin hos eosdem, quos olim bello Punico, caesis Scipionibus, expulsis Romanis, dominos habuimus, denuo recipis & agnoscis? Sed fortassis Afros aut Arabes istos circumuenire te posse confidis. Falleris, & nescis astum non esse supra astum punicum. Denique omnis ex infirmitate feritas est, quam pro virtute tibi vendicas. Quod si rursus ais, ibi maxime se ostendere Dei virtutem & potentiam, ubi maxima sit infirmitas & inopia: fateor, ita est: sed dum tibi de virtute eius blandiris, vide ne non satis memor sis offensi nuper numinis, in cuius indignatione magnitudo peccati vestri patet, & immensus in vos eius furor. Animositatis quae in vitio est, tibi tenebras offundit, estque ea

pars

pars animi (si nescis) quæ dicitur vis irascibilis, quam Plato ponit in præcordiis, obstrepatque rationi. Hanc nisi deponas, æquis consiliis meis assensum nunquam dare poteris. Et quid moraris? quid adhuc resistis? mihi crede, quicquid moliris nihil proderit aduersus iram potentissimæ gentis, non magis quam aranearum telæ a frigore possunt defendere. Hæc effatus Oppas, Pelagium vrgebat, vt quid ad hæc diceret, vicissim depromeret.

§. III.

Pelagij ad Oppam reciproca Oratio.

Non apice regali purpurae tumidus, Oppa, non licitorum fultus præsidio, sed diuinitatis, vt equidem reor, instinctu mihi sumo quicquid hoc est tribunitiæ potestatis. Si in virtute vel viribus meis tantum præsidij esse putarem, quantum satis sit ad molem belli Africani sustinendam, desperem. Sed non ea spe nitimur: alia nobis, vbi Deus iusserit, ad futura: Audi igitur, Oppa, bellum hoc auspiciamur Deo duce, tibi-que, & Alchamæ, denuntiamus vbicunque fuero, fatum ibi vestrum excidiumque futurum. Ita dictat in præsens spei plenus animus. Hoc tibi, hoc Witizæ filiis, perfidoque Iuliano Comiti dictum accipe. Sine me audacius aliquid etiam mihi meisque de futuro regni

regni statu recidino prælagire. Si vana & sine viribus hæc verba putas, cras videbis agonem, & intelliges quid diuinis instructa præsidis valeat nostra collectio. Quin tu potius, infelix, ab iurata anicitia Maurica & secta, quam non obscure profiteris, ad nos redis? Nondum sentis, tuis ac Witizæ flagitiis irritatum numen, seruitij hoc immane iugum, quod tuæ cervici congruenter impositum est, in violationem violatarum religionum, super vos adduxisse? Omnes tota prouincia per te tuosque sanctitates contaminatæ sunt, leges ipsa vetustate sacrosanctæ, fixæ atque refixæ. Et adhuc audes in nos culpam infelicitatis huius reicere, qui totius absurditatis tibi satis conscius es? An non vereris vt de te dicatur, quod de Iuliano proditore clamat apud nos infamatus eius opprobriis obeliscus, cuius legitur inscriptio talis: Maledictus furor eius, quia pertinax: & indignatio, quia dura. Qui oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor diuinitatis, crudelis in se, homicida in Dominum, hostis in domesticos, vastator & coniuratus in patriam, reus in omnes inexplicabilis nobis est causa doloris. Cuius memoria in omni ore amarescet, & nomen in æternum putrescet. Per eum enim inclytum regnum Gothorum, quod Athanaricus primus in has oras inuexit, & per annos 344. feliciter propagatum fuerat, in possessionem barbaris gentibus traditum est. Et quidem laudant illi prodicionem, sed non proditorem.

rem. Non tibi gratuleris, Iuliane: nec tibi nimis placeas Oppa, quod te creuisse putas, vltione sumpta. Extremæ spatia vltima vitæ, & turrin Septensem respicere te iubeo.

§. 12.

Excubia sacra Pelagij.



Ac vice sermonum cum nihil impetratum esset, vtriusque discessum est. Et Oppas quidem rediit ad Alchamam, redditus numero illorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus. Nam licet adeo perditis moribus non esset, vt hoc verbis auderet eloqui: dicebat tamen illud in corde suo quoniam quod ad mores & viuendi rationem attinet, sic se ferebat, quasi Deum talpam oculis captum crederet. Pelagius autem Chiliarcha velut iam excitatus graui classico cum oppugnationem in horas singulas propiorem expectaret, perdius & pernox in excubiis sacris erat, firmus in omnia quæ incumberent, & par vbique sibi: virum se esse, nisi per laboris patientiam ignorabat; sicque commanipularem manum regebat, vt militaris circa eum quotidie augetur affectus. Nec profusione nimia penum exhauriebat, nec malignè aut auarè for-denti parcitate necessaria subministrabat. Verùm mediis ferè inter imperatorem & militem tanta exige-

Bat commilitium arte supplicandi, ut & magnis successibus cumularetur circa eum militaris amor, & onus pariter cum eo diuiderent. Aiebat autem subinde: licet parendi vobis, milites, magis quam iubendi semper insita mihi fuerit voluntas; mutavi tamen per officium personam, feruendi animum non exui. Nec scio quæ maior queat esse gloria, quam affectum, quem vobis & patriæ debeo, non negare, ferociensque præfulis Oppæ impudentiam onerare beneficiis; cuius etiam postulatis, si per vos licuisset, acquiescere paratus eram, sed tantum nefas prohibuistis. Et verò grandis cautela est, aduersarij animum persensisse, eumque protinus hostem iudicasse, superasse est. Et tales ad nos dirigit Alchama, qui oratione pugnent & arte dicendi. Porrò in tanta circumspectione salutis publicæ, solùm pro me timere non noui. Vos igitur si salutem vestram & meam id est publicam amatis, quod me videtis facere, facite. Vigilate, numina mecum implorate, irreconciliabile bellum cum Saracenis istis Dei & Deiparæ hostibus gerite: nulla pax cum illis, nec fœdera sunt. Nemo malis his ingemiscat: nam necessariò fortis apparuit, qui nunquam de fato suo questus est: sed insuper multis fecit intellectum sui, & non aliter quam sidera quæ aduersum mundo iter intendere videmus, contra aspera omnia quisquis talis erit, audentior ibit. His hortatibus Pelagius suos ad futurum certamen peruigiliumque animabat.

Quis

Quis fuerit exitus obsidionis.

Entum erat ad supremum montis Ausenæ iugum: iamque hostis omnia circumquaque locustarum in morem impleuerat. Nulla interim intermittebantur officia militaria: sed vtrimque pari conatu, hinc pro salute publica, & pulchra pro libertate; inde pro gloria certabatur. Maiora nusquam indicia furoris, odij, tristitiæ, letitiæ. Profectò in oculis animus inhabitabat, vastus in Pelagio, vafer in Afris & Alchama: trophæa in eis iam tum cernebantur, & vultus vitæ dextræque similis nescio quid fatale spirabat & minabatur: voces quoque ferebantur vltro citroque nuntiaæ calentium animorum. Obsessi metu urgente, solis ferè suppliciis & votis vacabant, nihil vltra fas trepidi, hostem operiebantur, simul occumbere, simul erumpere parati, in omnem rei benè gerendæ occasionem excubabant. E contra per latè patentes campos, Numidæ equites: per præcipitia, pedites Afri succedebant, alter alteri maximum theatrum futuri. Sed omnibus his maior altiorque populus Dei, inermi pietate tantum inter arma tectus, armata Barbarica feritate tutior erat; parsimoniam humani sanguinis alter alteri suadebat; pro symbolo illud Iulij Cæsaris habiturus: Miles, fa-

ciem feri. Milès, parce ferro: prælia dictitantes, itidem vt cælum, non a grandine aut perpetua nube, aut formidabili fragore, sed a parsimonia sanguinis & placida serenitate commendari. Minus tutum videri crudelitate in victos debacchari, nec vllum cædis finem facere.

Vt igitur mutuis inuicem hortamentis acuerunt animos ad prælium, eminus primùm lapidibus & iaculis Speluncam impetunt Mauri: Pelagius verò cum suis quicquid circa Speluncam rerum iaciebatur tanquam alites & velites in hostem redituros spectabat: ridens Aloidas istos velut montes montibus imponere, cumulos cumulis telorum adiicere conatos. Et quia forte legerat, semper feliciter cadere Iouis taxillos, tela & Saxa a Ioue vindice dimitti peroptabat, haud ignarus euentus sequuturi. Nec eum fefellit expectatio: siquidem vt nubes telorum in altum prouecta, descendere cœpit in os Speluncæ (mirabile dictu) ventus obliquauit, & in auctores retorfit: dixisses recente spiritu commota primum, dein senescente impetu destituta, saxa & silices elanguisse cadendo: sed mox redire iussa, tanta celeritate resiliisse, nullum vt dubium esset a potentiore virtute, quasi a puluere salpetrino & pice, vim accepisse. Sed fallor: cum intus cessaretur a prælio, agebatur extrorsum ira de cælo. Pro Theodosio iuniore pugnasse Angelos auctor est Socrates. Et Honorij exercitum diuino miraculo victoriam

Et oriam incredibilem obtinuisse de Gothis, cæsis centum millibus cum Radagaiso rege eorum testis est D. Augustinus lib. 5. de ciuit. c. 23. Sed & multò illustrius est, quod Theodosio Magno contra Eugenum tyrannum dimicanti Deus summiserit armatas tempestates, vt ait synchronus eius Claudianus Poeta, sic eum compellans:

O nimium dilecte, Deo cui fundit ab antro

Æolus armatas hyemes: cui militat æther,

Et coniuurati veniunt ad classica venti.

Claudianus.

An non hæc in Pelagium cecinisse videri potuit, cui quia prima religionis & precum, æquè vt Theodosio, fuit militia, Deus & diua virgo Mater bellipotens de cælo pro eo pugnarunt in ordine suo. Retorquebantur igitur hastæ, lapides, missilesque saxæ grandines in auctores suos: & velut a petrosa ira, dies obscurata turbinibus, saxa reuomebat: a quibus occisa sunt viginti Saracenorum millia. Exinde turbati hostium animi: horror vbique duces castrorum inuadit, simul ipsa præcipitia præruptarum rupium diffugiens terrent. Quid inter hæc Pelagius? Stricto ense primus erumpit, & inuadit vbique, quem sequutus armatorum globus, qua data porta ruit, & communibus viribus vrget hostem recedentem in latibula sua. Ibi Mars ex acie fortissimum quemque pignerari solitus, Oppam Sacerdotem in manu Pelagij conclusit, de quo an more militari sumptum sit supplicium,

an litro vexationē redemerit, licet veteres chartæ non loquantur, tamen pronum est credere non impunè transfugæ fuisse. Elephantorum anima serpentes extrahite speluncis, ceruorum item vrit, inquit Plinius: sic & hi qui speluncis, prius atris abditi vitæ suæ vix credebant, vice versa prodeunt in aciem victos & profugos Mauros in latibula cum compulissent, extrahabant. Nimirum sic sunt casus bellorum, & fortunæ vomitus.

§. 14.

Vsus & fructus victoria.

Ec fruendum statim, sed vtendum potius hac victoria Pelagius putavit. Quapropter occupatis locorum compendiis, hostem vndique adortus, internecina cum posset eum cæde delere, non hoc sibi sumpsit, sed Deo iudicium sanguinis permisit. Itaque de cælo contra eos dimicatum est. Desiderataque sunt ex eis milia sexaginta, quæ partim victoris gladius consumpsit, partim fæda tempestas & ruina montis, aut fluminis illuies voravit. Perit in ea pugna Munuza ad Oliam vicum ferro incolarum peremptus. Sed & superbus Alchama, multaue nobilitas Maurica. Commissum est hoc prælium anno salutis 718. *Æra 756.*

Observatione planè dignum est, inquit Baronius

ad

ad annum Christi 717. quod tam in Oriente Leo Imperator, quam in Occidente Pelagius, dum Dei genitricem aduersus Saracenos inuocant, insperatam ingentemque victoriam consequuntur. Ita communes humani generis hostes Saraceni non vno loco debellabantur: quibus bellum mire suadebat insanus amor magnitudinis falsæ. Qui & ultra anni solisque vias imperium prolaruri videbantur, ipsique naturæ vim illaturi: non ire, sed nec stare poterant, non aliter, quam in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse. Illos tam parua manu vtrum admirabilius sit quod vicerit Pelagius, an quod aggredi ausus sit, incertum est. Desperatio fortis in meliora proficit. Desperando pugnarunt homines miseris fortiores, fide atque ærumnis inclyti, & de calamitate sua nomen æternum mutuati, de quibus non malè dixisset illud:

Saxea progenies, duris caput extulit antris.

Hos autem, ne partâ victoriâ securiores essent & segnescerent ita exercuit Pelagius, quasi bellum difficillimum adhuc restaret. Reduces ex Galliis, vindicesque cladis acceptæ copias Saracenorum breui affuturas dititans: Mauros velites, & Numidas equites a volitando dictos opinione citius adesse solere, ac improuisa sæpe prælia ciere: quorum indomitus furor citò periculorum obliuiscatur, & improbæ laudis appetitus nihil non ausurus sit, pro reparatione gloriæ militaris

im-

imminuta. His dictis non modò militem acuebat ad fortia Pelagius, sed etiam educebat ad laceffendas proximas hostium stationes. Atque in hunc modum prudenter vsus est victoria ad stabiliendum imperium; quo postmodum fundato, frueretur.

§. 15.

Auspicia noui regni in perpetuum fundandi.

Tantum spei contulit hæc victoria, quantum plurimæ & peregrinæ expeditiones vix possent; quam etiam labor militaris æquali tolerantia, sine respirandi appetitu perpetim alebat. Ex hoc tempore ad nouum regnum in Hispania auspicatò in perpetuum fundandum, signumque ad benè sperandum afflictis & oppressis prouincialibus sublatum est. Tanti nonnunquam est non deesse fortunæ, & oblata casu flectere ad consilium. Hic si præuideretur semper fructus legitimi belli, tolerabilior esset disciplina castrensis. Itaque Pelagij tam lætis successibus excitati Calæci & Cantabri, quos Oceanus ad Septentriones alluit, & locorum asperitate Asturum exemplo confisi, libertatis suæ vindicem & patronum vnum Pelagiū volebant. Mittebantur insuper occultæ legationes, ad vrbes quæ in Maurom potestate erant, obtestatum communi causæ

Mariana.

causæ ne deessent, sed aliquid etiam pulchra pro libertate auderent. Nec otiosæ fuere preces & obtestationes: siquidem multi vltro nomina dedere, & in commilitium transiere. Tanta erat cupiditas auspice Pelagio, pro patriæ salute suaque libertate certandi. Nec erat ambitio potestatis, vbi societas erat affectionum. Itaque societate Gothici nominis complures inuitati, & communione sanguinis adducti, nec non & religionis vnitatem commoti ad contribules suos frequentes conuolabant longè maiori concordia voluntatum, quàm ad Viriatum olim hominem pastoralis & ex latrone celeberrimum factum Imperatorem Lusitani. De quo ait Paulus Orosius, quod trabeas, fasces, cæteraque insignia Romana in montibus suis trophæa fixit. Et fortassis eius exemplo Pelagius, cui omnis cum cælo societas erat, pro tuenda reductæ libertatis gloria, & gratijs Deo ac Deiparæ referendis, manubias hostium tholis appendit, nihil ab antiquis diuertens Christianorum regum moribus, quibus solemne fuit duratu atque conseruatu optima quæque Deo dicare, vt omittam Davidis celebre monumentum, quod interfecto Goliatho gigante gladium videlicet, anathema Deo suspendit: & Æneæ, cuius est iste versus dedicatorius apud Poetam:

Æneas hæc de Danais victoribus arma

Certe Speluncam ipsam Ausenæ montis, ex qua publica libertas primum recidiuare cæpit, publica re-

H

ligione

ligione Deiparæ dedicauit, vt Baronius & Mariana
testantur. Sed quo ritu, quave cæremonia non prodi-
tur. Licebit autem per coniecturarum tenebras ad id
fortassis attingere: ea tamen circumspectione & cau-
tela, vt, quod ille alius vetat in arte Poetica non ap-
pingamus Delphinum siluis, Auctibus aprum: sed cum
Methodio dicamus Psalmographi vaticinium istud:
Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, de B.
Virgine, simulque de locis ipsi dicatis intelligi posse:
nec absurdè, multò minus inuito Spiritu sancto in-
terprete, ad huius Speluncæ dedicationem posse tra-
hi.

§. 16.

Dedicatio Speluncæ.



Speluncas Labyrinthicas plures fuisse capa-
ces multorum millium hominum vetera
scriptorum monumenta testantur. Cui
enim ignotæ sunt Cræticae latebræ, Italicæ
ad populonium Etruscorum urbem, Samiæ, Lemniæ,
Puteolanae, Argiuae, Ægyptiæ? Talia receptacula Iu-
dæos etiam habuisse sub terra cum ad necem genus
suum quæreretur testis & Dio in Adriano. Sed nulla
viquam Medusa Nioben, aut Atlantem aspectu suo
in rupem tam asperam commutauit, quam virgo
Christifera Speluncam hanc de Couadonga terrifi-
cam hominibus reddidit, Pelagioque venerabilem.

Hinc

Hinc iniecta viro religio ac voluntas eam dedicandi. Nec mora; conuocatis triumphalibus turmis, cum crucibus & labaris, aliisque gestaminibus sacris processit ad Speluncam, vbi posita Deiparæ sacra imagine, militari sub thesa, sic diuam in effigie (vt equidem reor) est affatus: Lætissimus hic religionis & restituti regni tui dies primus illuxit o Virgo, quo defuncti summis rerum periculis: ad te cum manubiis, quas tibi vouimus, reuertimur. Has igitur suscipe, propensioris in te nostræ voluntatis obsides. Et quia Speluncam hanc nobis in umbraculum belli, & absconsionem a pluuiâ & turbine sagittarum prouidisti; hanc eandem tibi lubentes, meritò dedicamus consecramusque.

Hic iuuenum Chorus, inde senum, qui carmine laudes, Virgo, tuas & facta canant.

Tu tantum suscipe vota & voluntates, quæ quicquid habere potuerunt virium, ritu moreque maiorum consumpserunt in cultu ac constitutione diei solemnis in condensis vsque ad cornu altaris. Coruscasti, splenduidisti, fugasti cæcitatem huius Labyrinthi: fragraisti, & duxisti spiritum meum, & anhelò tibi. Hoc beneficium, mihi meisque præstitum non recedet de ore meo, & de ore seminis mei: amodo & vsque in sempiternum. In cuius etiam recordamentum, pono Capitolij hoc immobile saxum, in superbiam sæculorum, gaudium Asturum in generationem

& generationem. Nec sit tibi vilis, nec in quoquam despiciatur hæc rupes, quam tuam fecisti. Stabit autem, & te stante virebit publicum hoc reparatæ perpetuæ salutis Gothicæ monumentum æternum, non minus celebrandum, quàm illud quod post diras terrarum eluies crexerunt filij Noë columnare saxum. Hoc hospitium & tectum tuum esto, in quo deinceps secretum verecundiæ, vexillum fide & deuotionis obsequium esse iube. Hæc rupes illi petrae deserti non absimilis, quæ teste Basilio Seleu. Episcopo Orat. 31. sequuta est populum Hebræorum, & torrentibus solitudinem inundauit: cuius singulare priuilegium, licet non habuerit similitudinis confortium, meretur tamen publicum habere & communem cum ea cultum, quia genitale saxum est, ad quod nos respicere Propheta iussit Isai. c. 51. vbi ait: *Attendite ad petram unde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* An non & hæc Rhodus & saltus est? Rhodus Græcè rosa est. Et hæc cauerna rosa est, ex qua regium insigne reffloruit. Reges Babylonij sceptrum gestabant olim, cui superstabat rosa vel lilium. An ego dubitem te quoque, o Virgo, in virgam directionis, & virgani regni mei suscipere, quæ sceptrum exactoris superasti, sicut in die Madian? In hoc saltu, salebrosa ac auia solitudine hæc spelunca, velut altissimæ vocis rugitum dabit contra eos qui me, vel meum genus ferro ausi tentare fuerint.

Prosopopœia ad eandem Speluncam.

*Salve sancta Specus, rebus tutamen in arctis,
 Cui pater omnipotens pleno se numine fundit;
 Bellantes enixa viros: tu prima salutem
 Felici peperisti utero mortalibus agris.*

Quod si Hebræi ex ritu scenopægiæ ludibundi pars pedibus plaudunt, pars carmina dicunt: & fasciculos ex pomis, citreis, fondibus palmarum, myrtis atque salicibus de torrente confectos gestant, & gaudio sacro ac solemni gestiunt, manibusque in sublime sublatis, lætum pæana canunt, memores tabernaculorum, in quibus eos Deus habitare fecit in deserto; quid ni etiam Astures & Cantabri fors & funiculus hæreditatis tuæ, o Deus, lætentur coram te sicut qui lætantur in messe, & sicut exultant victores capta præda quando diuidunt Spolia. Præsertim in hac petra, in qua præsentissimum numen tuum, & maiestas matris tuæ conspicua fuit, & habitauit in nobis: non quidem per ymbra[m] vt in Angelis testamenti veteris personam Dei gerentibus, sed per energiam, vt in summis belli ducibus olim, Samson[e], Dauide, Iephthe. Quorum ille habitauit in petra Ethan, alter in Spelunca Odollam, sed non sine tuo numine: quos non tela vibrantia, non arietata inter se arma agminis den-

si, non vrbis impulsæ fragor territavit. Synagoga onerata cæremoniis & ramis ligni densarum frondium nunquam propriè & verè exultavit. Hæc exultatio debetur populo huic terribili & expectanti, post quem non est alius; cuius diruperunt flumina terras: a quo ignotas regiones aliquando peruestigandas Cordubensis Seneca noster cecinit.

— — — *Venient annis*

Sæcula seris, quibus Oceanus

Vincula rerum laxet, & ingens

Pateat tellus, Tiphysque novos

Detegat orbis, nec sit terris

Ultima Thule.

Hunc tibi populum, & eius natale saxum, Deus, commendo: quod tibi scenopægiæ Christianæ ex instituto dedico consecroque. Iactantur cuncta & in contrarium transeunt iubente te, & in tanta volutatione rerum humanarum nullum usquam regnum perpetuum & immobile: *Non res Romanæ, perituraque regna*, inquit Poeta: sed tu, cui subest, cum voveris posse; iube populum hunc cognata rupea firmitate subnixum, stabilito regno gaudere, & faustò rem gerere, pro maiestate militantis tuæ Ecclesiæ.

An

An in hac Spelunca mystocheium, vel simile quid fuerit?



Um emblematum & imaginum ornatu dedicatam fuisse hanc Speluncam vix est vt dubitemus. Verum an mystocheium, aut Pastophorium loco adiectum fuerit, non ita compertum. Nec mirum, cum per aliquot sæculorum volumina, multa mutata, multa semiruta, neglecta vel vitiata reperiantur. Multa renascentur, quæ nunc cecidere, cadentque quæ nunc sunt in honore cubilia sacra si volet ætas, vt ait ille alius. Multa latent hodieque in piis sordibus & obsoleta carie, quæ multa fuerunt olim in veneratione: sed incuria sæpe mortaliutur hæc aliaque sepelit, & sæculum omne talibus impiamentis contaminat. Sic cryptæ, sic catacumbæ, subterraneæque ciuitates vsque adeo in obliuionem venerant, vt nec earum vestigia deprehendi possent, donec ponuper Dominus reuelauit condensa, & in templo eius, seu hypogæo omnes dixerunt gloriam. Meminit Baronius inuenti nuper subterranei cubiculi, vel sacelli potius, tertio ab vrbe lapide, via Salaria. Mirabile dictu, inquit, vidimus sæpiusque iustrauimus Priscillæ cæmeterium, haud pridem inuentum atque refoffum, via Salaria, tertio ab vrbe lapide,

pide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ eius amplitudine, multisque atque diuersis viis, quàm subterraneam ciuitatem. Quippe quod ipsius ingressu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde diuersas vias habeat, easdemque frequentes: quæ rursum in diuersos viculos diuidantur & angiportus: rursus, vt in ciuitatibus, statis locis velut fora quædam ampliora sunt spatia ad conuentus sacros agendos, eademque sanctorum imaginibus exornata, nec desint, licet nunc sint obstructa, ad lumen recipiendum desuper excisa foramina. Obstupuit vrbs, cum in suis suburbiis abditas se nouit habere ciuitates, Christianorum, tempore persecutionis, colonias: modò autem sepulchris tantum refertas: & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis cæmeteriis, aliqua solum ex parte reclusis, tunc plenius intellexit. Ita Baronius. Alij qui cryptam eandem lustrarunt, addunt ternas ambulationes alias super alias occurrere: & in earum nonnullis hinc atque hinc defossa in parietibus sepulchra, quaternis ab imo ad summum ordinibus. Quærat aliquis, an spelunca hæc, in cuius versamur nomine, talis fuerit? an crypta? an cauea? an tumba? Testatur disertis verbis Rodericus Archiepiscopus Toletanus lib. 4 c. 1. de rebus Hisp. caueam esse, tam mirabiliter arte naturæ effectam, vt inexpugnabilis censeatur. Apud Lucam Tudensem Pelagius de ea sic loquitur: Ecce in ista tumba hodie inclusa est pars maxima

Gothorum &c. Igitur viuum hominum fuit sepulchrum, quale prudentius describit in carmine, quod hic reddo.

*Haud procul extremo culta ad pomaria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foueis.*

Huius in occultis gradibus via prona reflexis

Ire per anfractus luce latente docet.

Inde ubi progressu facili nigrescere visa est

Mox obscura loci per specus ambiguum;

Occurrunt cæcis immissa foramina tectis,

Quæ iaciunt claros antra super radios.

Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus

Arcta sub umbrosis, atria porticibus:

Attamen excisi subter caua viscera montis

Crebra terebrato fornice lux penetrat.

Sic datur absentis per subterranea solis

Cernere fulgorem, luminibusque frui.

Sed libet recentiore oculatum testem & iustratorem hic etiam adducere, qui non ita pridem subterraneam Prouinciam, prout inspexit, descripsit hisce verbis in Commentariis Epist. ad Hebr. Ait igitur se Calixti cæmeterium intrasse, vidisse se subterraneos specus ibidem longo spatio semirutos, quos partim eundo, partim repedo, nunc ascendendo, nunc descendendo, nunc gyrando, præeunte semper candela transgressus est: Specus est, inquit, ad milliaria multa a Christianis excauati vsque ad mare procurrunt: pla-

teas

teas & diuerticula quaquaversum habent infinita, in-
 star Labyrinthi (in quibus plures se perdiderunt & per-
 ierunt, vnde iam iussu Pontificis obstructa sunt) vti
 videatur esse ciuitas subterranea, immo Prouincia.
 Conspexi ibi passim in lateribus viarum loculamenta
 & sepulchra martyrum, vel in terra, vel in rupe, ita or-
 dine gradatim excisa, vt singula caperent singula tan-
 tum corpora, magna pro magnis, parua pro paruis.
 Vocatur hoc cœmeterium Calixti, in quo centum &
 septuaginta quatuor millia martyrum & virginum se-
 pulta sunt: Virgines figura columbæ, martyres figura
 palmæ sepulchro incisa denotantur. Nunquam credi-
 dissem tantum fuisse laborem, afflictionem, constan-
 tiam, & zelum primorum Christianorum hæc lati-
 bula effodientium, adaptantium, sustentantium, ibi-
 que instar talparum & ferarum habitantium, nisi ocu-
 lis lustrassem. Ita Cornelius, vt mirum non sit Pela-
 gium cum sua militum Chiliade sub terra similiter ha-
 bitasse, vbi que stationarium egisse. Quod si cuiquam
 adhuc creditu difficile videtur, addam & aliud huic
 affine, quod Cotowicus refert se lustrasse.

§. 19.

De alia Spelunca, quam Itali Capellâ vocant.



Refert Cotowicus in Itinerario suo lib. 1. c.
 13. vidisse se in valle Messarea, Cortynæ
 ciuitatis, quæ olim Cretæ regia fuit, rude-
 rosa ædificia: nec non in Ida monte vici-
 no Speluncam antiquam, ex qua lapicidæ marmor

eruisse creduntur ad ædificanda Cortynæ mæniâ;
 quamuis alij Minois Labyrinthum fuisse contendunt.
 In eo varia hodieque reperiri ait monumenta, numif-
 mata, & marmorea, cuprea, eburnea simulachra re-
 rum variarum. Itemque inscriptiones diuersas tam
 Latinas, quam Græcas: Consulium & Cæsarum Ro-
 manorum effigies & res gestas, aliasque situ occupa-
 tas antiquitates. Hanc specum Itali Capellam vocant,
 quod supernè fornicibus concamerata, porticus obscu-
 ras explicet ad duo milliaria. Ibi cum semel occiderit
 breuis lux lucernæ vel tedæ, nox est perpetua vna dor-
 mienda, nisi silicis & chalybis attritu, beneficium tibi
 rursus luminis reparetur. Hic innumerabilia vesperti-
 lionum nidulantur examina, quas si ferro, vel pulueris
 iactu violes (melius non tangere clamo) non sine ca-
 pitis tui periculo eas in te concitaueris. Refert idem il-
 le, huiusce rei certam experientiam se tum cepisse, cum
 ex comitibus vnus, nidum vnum earum gladio teme-
 rasset. Tum enim tam densis eas agminibus inuolasse
 in faces & facies, vt præsentius aliud remedium eua-
 dendi nullum occurreret, quàm humiliatio vsque ad
 terram. Postquam autem horæ spatio iacuerunt pro-
 ni resumpto spiritu, reaccensoque lumine (nam fax
 extincta defecerat) harpyias illas euaserunt. Exami-
 nent Antiquitatum studiosi, an Spelunca de Coua-
 donga ferax etiam sit numifmatum eiusmodi, vel exe-
 sorum rubigine telorum. An hic inscriptiones vete-

res, an arcus triumphales, & absides Gothico opere,
vel moles aliæ superstites sint. Obstupescet fortè scru-
tator.

Grandeaque effosis mirabitur ossa sepulchris.

Nolo mihi fingat hic aliquis pseudotyros & por-
ticuum ambages, aut Auernales umbras, aut inextricabiles errores, monstrificasue larvas occurrentes, per
cœcæ specus tenebras. Non hic tristes ululæ, vesperti-
liones, aut feralis carminis aues. Nec talē domus huius
sitū fuisse quis existimet, qualem Plinius facit quarum-
dā subterranearum domorū, in Creta & Ægypto, quarū
ad apertis foribus, tonitruum intus horribile existere
iurasses. Procul abfuere fraudes & diuerticula ab hac
Spelunca. Nihil hic Dædalus, Zmilus, Rholus, Theo-
dorus, Circammon suum reperisset. Sed totum manu
circinatum naturæ, totum plenum fuit numine Dei-
paræ, quicquid in ea fuit reconditum aut mirabile.

§. 20.

Emblemata.



Vis abnuat emblemata plura suspendisse
Pelagium in huius Speluncæ dedicatione?
Sic mihi persuadeo varia excogitasse & ef-
figiasse rerum variarum simulachra ad or-
natum decoremque celebris huius Speluncæ. Sed quæ
vel qualia tandem illa? An iudicium Salomonis an-

no ætatis eius duodecimo factum; poscentis gladium ad diuisionem Hispaniarum? Hoc emblemata consensu omnino videri poterat statui temporum illorum. Quid enim meretriciæ rixæ, nisi bella Maurorum & Asturum? Quid quod vera mater deprecatur diuisionem, & impetrat? nisi quod plebs Dei, indigna Hispaniarum, precibus & interuentu Deiparæ Virginis ex dispersione & diuisione regnorum, profligatâ sectâ dissectâ Mauricâ, tandem ad vnitatem reduci meruit; illique patria reddita est hæreditas, & aurea libertas?

§. 21.

Aliud Emblemata.



Aliud fortè non improbum nec improprium suggererat præteritorum memoria temporum Emblemata tale. Deipara paludata chlamydem explicans in alylum: qualem in visione quandoque vidit Beata Gertrudis. Vidit illa diuersa animalia confugere sub paludamentum augustæ Dei matris, a cuius etiam manu demulcebantur, & mansuefiebant: hæsitansque & ignorans, quid visio portenderet, didicit ex illo digmate, quod in ora paludamenti legebatur: *Hæc peccatores recipit.* Videbat autem varia migrare & mitigari in vnum contubernium expansæ chlamydis amphibia animalia. Quænam illa? Quæris? vide an non Danie-

lis 4. agrestes & portendentes bestiaē fuerint: leæna, vrsus, pardus, & sine nomine quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus conculcans. Per quas hæctenus interpretes intellexerunt quatuor Imperia seu monarchias orbis terrarum; puta per leænam Babyloniorum: per vrsum, Persarum: per pardum, Græcorum: per quartam denique Romanorum, quæ regnum Iudæorum, non solum pedibus suis subiecit, sed etiam in quatuor retrarchias comminuit. Sed hanc correxit interpretationem post D. Hieronymum (qui non tam eam sequitur, quàm refert) Franciscus Biuarius Lucij Dextri Commentator egregius. Cuius commentationem, quia paucis obuia est, reddam hic breuiter.

§. 22.

Prima bestia Alani.

Videbam, inquit Daniel, in visione mea; & ecce quatuor bestiaē grandes ascendebant de mari, diuersæ inter se. Dan. c. 5. Per primam bestiam, quæ erat quasi leæna, designantur Alani, qui Hispanias primi inuaserunt, profligatis Romanis. Hi conuenienter per leænam signantur: Nam sicut leo vel leæna regina dicitur animalium: sic & hi potentabantur Vandalis, & Sueuis, inquit Idatius, & Gotos despiciebant. Sed quomodo

do euulsa sunt ala eius? Adeò cæsi sunt à Gothis, vt extincto eorum rege Aiace, pauci qui superfuerunt abolito regni nomine, Gunderico Vandalorum regi, qui in Gallæcia refederat, obnoxij esse cæperint.

§. 23.

Secunda bestia Vandali.



Ec bestia similis vrsò fuisse perhibetur: in cuius ore & dentibus, tres ordines erant: per quam, Vandalos in Hispanias ingresses intellige. Hi tres ordines in ore habuerunt, quoniam tres Prouincias occuparunt Gallæciam, Baticam, Africam, testantibus Orofio, Isidoro, & Idatio. Huic dictum est. *Surge, come decarnes plurimas.* Nam myriades martyrum deuorauit, & cælo transmisit, rabie efferata bellua in fideles Africæ populos, quorum pro fide Orthodoxa suscepta certamina descripsit Victor Vticensis. Et huic ergo conuenit, quod dicitur *in parte stetisse*: nimirum quia a Iustiano ex Africa repulsi in Hispanias regressi sunt.

§. 24.

Tertia Bestia Sueui.



Tertia bestia quasi pardus fuisse idescribitur, & alas habuisse quatuor super se quasi auis, & quatuor capita erant in bestia. Hæc Sueuorum in Hispania regnum denotat, eorumque reges octo, qui ad tantam deuenere potentiam,

tiam, vt de Rechilla eorum rege dicat Maximus in Chronico, ad annum Domini 448. *Rechilla Sueorum rex, penè totius Hispaniæ fit Monarcha.* Durauit autem regnum eorum ab anno 411. quo in Gallæciam secesserunt, vsque ad annum tertium Mauritij Imp. & Christi 588. teste Ioanne Viclarensi in Chronico, quo anno a Leouigildo Gothorum rege subacti sunt. Alas habuisse dicuntur, quòd incredibili pernicitate diuersas Hispaniæ prouincias peruagati sunt. Horum reliquiæ hic quoque collectæ vix magni nominis vmbra retentabant.

§. 25.

Quarta bestia, Gothi.

¶ ¶ ¶ Varta bestia Gothos denotat. Hæc mirabilior & terribilior erat cæteris, & fortis nimis. Dentes ferreos habebat magnos, & vngues itidem ferreos, omnia comminuens, conculcans, & dilacerans. De hac etiam dicitur quod habuerit cornua decem: post quæ cornu aliud paruum exortum est de medio eorum. Quid cornua decem? Decem reges Gothorum sunt, qui in Hispania regnarunt. Quorum primus Ataulphus. Secundus Wallia. Tertius Theodoredus. Quartus Thorismus. Quintus Theodoricus. Sextus Euricus. Septimus Alaricus. Octauus Amalaricus. Nonus Athanagildus.

gildus. Decimus Liuba. Cæteri qui intercesserunt, non reges, sed tyranni fuere. Liuba regnante Leouigildus (vndecimum cornu) regni partem accepit, quo verè de illo diceretur: *Ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum.* Testatur id Viclarensis gestorum eius Chronographus hisce verbis: Leouigildus germanus Liubanis regis, superstite fratre, in regnum citerioris Hispaniæ constituitur. Porro tres reges post eius ortum ceciderunt, Liuba Gothorum, & Miro, atque Euoricus Sueuorum, regnaque ipsorum sibi subdidit. Hoc demum est illud regnum Gothicum, quod maius fuisse cæteris testatur idem Propheta. Maius fuit, quandoquidem vniuersam Hispaniam, Vasconias, Bastetaniã, Malacitanam, Cordubensem, Assidonensem Prouincias, ac denique Galliam Narbonensem, Gothicam fecit. Hinc deuorasse, conculcasse, ac comminuisse terram dicitur. Sed quid illud innuit, quod hæc eadem bestia, magna atque ingentia contra excelsum loqui dicitur? Nimirum Blasphemias contra Christi diuinitatem gens Gothica Arianismum professa hæctenus euomuit, præualuitque sublato S. Hermenigildo: cuius sanguine & cæde tantum abest, vt extincta sit fides Catholica, vt potius creuerit, & Arianismum extinxerit. Et hoc est quod in textu Prophe-tiæ subditur.

Regnum datum populo Sanctorum.

Iudicium sedit, ut auferatur potentia & conteratur, & dispereat usque in finem: regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter cælum detur populo Sanctorum Altissimi, &c. Id accidisse visum est, quando sublato Leouigildo, & cum eo simul Arianismo totâ Hispaniâ abolito regnum traditum est Recaredo, per quem Monarchia Catholica fundata est. Quod verò ad eius perpetuitatem spectat, ab eodem Propheta prædictam, liquidò constat ab hoc Recaredo & deinceps vsque ad Pelagium, perpetuum seruasse tenorem. Et quamuis irruentibus in Hispanias Mahumetistis visa sit Monarchia Catholica defecisse; tamen in Asturibus & Cantabris principatum retinuit, in quibus Gothicus sanguis, Vandalicus, Sueuicus, & Catalanicus adhuc censebatur. Hoc innuebat, inquam, Emblema paludatæ Virginis: sub cuius præsidium dum reliquiæ Gothorum, Alanorum, Vandalorum, & Sueuorum, quas per quatuor bestias denotari diximus, auspice Pelagio confugiunt, manu Diuæ demulcentur & mansuefiunt. Felix asylum, & longè felicius illo, quod Romæ constituit Romulus,

coagulatum ex omni genere obsoletorum, sicario-
rum, prædonum, ganeonum. Sed nunquid solæ qua-
tuor hæ bestię sub calyptra illa Diuæ sese illatebra-
runt? plures omninò longeque numerosiores ad eam
confugere cernebantur in eodem emblemate, qua-
rum censum breuiter hic ponere, non abs re, nec alie-
num a gloria diuæ futurum puto. Igitur primum quod
manu demulcere videbatur ex animantibus fuit

§. 27.

Serpens.



Primis mundi cunabulis Serpens insidio-
sum animal insinuasse se sub eius chlamy-
de legitur Genes. 3. non vt protegeretur,
sed vt eius calcaneo insidiaretur. Et exinde
conflata est capitalis inter Serpentem & mulierem ini-
micitia, teste Ruperto, qui ait: Serpenti vtique cum
femina mirabilis discordia est: nam si nuda mulieris
planta dentem Serpentis præuenerit, & viuacissimum
caput eius vel leuiter presserit, statim totum cum ca-
pite corpus repente interit, ita vt nullus omninò mo-
tus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit: quod nec
malleis, nec vectibus certe, nec gladiis concidentibus
cito aut leuiter effici potest: siquidem excisum caput,
cum duobus aut tribus trunci digitulis abire perhibe-
tur. E contra ille quamlibet exiguus sit, si vel extrema

plantæ dentulum infixerit, fœminam occidit: morſu
 namque infuſa peſtis per venas vegetatione corporis
 aucta diſcurrit, animamque eximit. Ita fuit ab initio
 mundi. Sed poſtquam in ſemine mulieris huius, id
 eſt in Chriſto, interfectæ ſunt inimicitia, Serpens con-
 tritus & humiliatus aduoluitur calcaneo eius. Quod
 ita fore præuiderat ante natum Euangelium Euangeli-
 cus Propheta Iſaias c. ii. vbi manifeſtè vaticinatur de
 reconciliatione Serpentis & Virginei ſeminis: *delecta-
 bitur infans ab ubere ſuper foramina aſpidis: & in
 cauerna reguli qui ab lactatus fuerit, manum ſuam
 mittet. Non nocebunt, & non occident in uniuersa
 ſo monte meo. Vbi verius vnquam id impletum, quàm
 in hoc montis Auſenæ vertice, & in cauerna Reguli
 Pelagij? rex certè nondum erat ſed Regulus, ab lacta-
 tus a lacte ſæcularis illecebræ, auulſus ab vberibus
 conſolationis ineptæ. Quem vel hoc nomine Virgo
 mater, & infans pendulus ab eius ubere dilexit, & in
 eius Speluncam miſit manum ſuam auxiliatricem ab
 alto, eripuitque de inimicis fortiffimis.*

§. 28.

Maria refugium erinaceis.



Eſert D. Hieronymus erinaceum habere
 ſimilitudinem muris & vrſi vt idcirco in
 Paleſtina dicatur quaſi vrſimus. Acutè D.
 Auguſtinus iungens cum leporibus ericios
 petram quæ Chriſtum denotat (addamus & Mariam)

ait

ait vbi que refugium præbere: in montibus, vbi habitant volatilia: in mari, vbi domus est fulicæ (quam pro Herodio legit) in terra pro ericiis & leporibus Maria petra est, vt dixi, præparata in vertice montium, ad quam vidit Isaias confluere omnes gentes.

§. 29.

Herodij domus Maria.

Difficile definire est, inquit Lorinus in pl. 103. quæ sit avis hic nominata erodius aut Herodius; minimè autem improbabile videtur esse ardeolam, Italicè *Airone*, Gallicè *Heron*, Hispanicè *Garza*, Belgicè *Regher*. Etsi porrò ex mari viuat, non ibi tamen, sed in terra nidificat, vt Oppianus tradit, vel vt Stumpius vult, in abietibus, aut vt alij malunt, istius avis domicilium superat cedros. Quid per hanc auem intelligimus, nisi maritimam Hispaniæ gentem, quæ licet ex transmarnis vt plurimum viuat nauigationibus, non tamen ibi, sed in continente nidificat, in Asturibus regnat, in hac Spelunca B. Mariæ de Couadonga sibi refugium præsto semper habet.

K 3

Pela-

Pello refugium Spelunca de Cowadonga.



Vem vocat Aristoteles inter erodios primæ speciei pellum, ait cornicem amare, infestum noxiis esse, tum aquilæ, tum vulpi, & corydato. Pellus fortè Gothos olim pellitos denotabat, infestos Romanis aquilis, nec non vulpitanantibus & astutis Afris, corydato quoque id est, cuius hosti nominis Gothici. Cornicem autem, sacratissimam Dei matrem, amat, & ideo sub eius calyptram, sub Speluncam hanc declinat donec transeat iniquitas.

Pelicano solitudinis similis Pelagius, sub tutela Virginis Matris.



uidas ait pelicanum ligna terebrare, Aliqui sic dictū volunt, quod perforet latus propriū: vel ut alij sentiunt, pullorum latera. Illam verò siue veram, siue falsam proprietatem de pullis ad vitam parentis cruore reuocatis, Christo sanguine suo nos redimenti atque resuscitanti applicant D. Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Aiguanus, Epiphanius, Maximus, Glycas, Eucherus, Petrus Damianus, & alij. Nos verò secundum Christum, applicamus Pelagio, qui cum Propheta dicere potuit: *Spiritus oris nostri Christus: Sub umbra eius vive-*

mus inter gentes. Ierem. in Threnis. Fuit enim pullus Pelicani istius, sub vmbra protectionis diuinæ tutus a pluuia & a turbine obsidionis Mauricæ, per omnia paratus pro patriis legibus, pro Repub. pro collectione sua sanguinem fundere.

§. 32.

Passer solitarius.

Passerem solitarium, singularem, vnicum inter merulas numerat Vlysses Aldrouandus, quæ sola ferè semper sit, & in tectis residens meticulosa garrat suauissimè. Nunquid talis fuit Chillas illa, cui Pelagius principabatur in Spelunca? Certè quantum assequor, odas Deiparæ canebat suauissimè communia comedebat, solitaria tesqua sequebatur, & in id ipsum reuertebatur.

§. 33.

Nycticorax in domicilio.

Nycticoracis domicilium fuit paludamentum diuæ Virginis matris. Nycticorax avis nocturna, vix differt a nycteride & vesperilione. Feraliter gemit de nocte, latetque in cauernis tenebrosis montium. Quam aptè quadrant hæc in populum illum in abdita spelea refugientem, & sub vmbra alarum tuarum, o Virgo, sperantem a custodia matutina vsque ad noctem.

Tur.

Turtur.

T*urtur inuenit sibi domum.* Id est fidei qui-
etem, vt explicat D. Gregorius. Gemebun-
da auis est, præsertim viduata compare
suo, unde Poeta:

Nec gemere aëreâ cessabit turtur ab ulmo.

Fidele receptaculum inuenit sibi in Spelunca, sub
auspice diua pænitens & plangens errata sua cohors
ista Pelagij. Ibi tenellos suarum virtutum *partus repo-*
suit, sub fidei Deiparæ custodia. Per accommoda-
tionem applicatur illud *Psalm. 103.*

In illa pertransibunt omnes bestiae siluæ.

In Maria pertransierunt omnes bestiae siluæ i. sil-
uescentes moribus nationes, quæ ad huius plenissimæ
lunæ lumen in nocte huius sæculi pabulantur. Admi-
rare Creatoris prouidentiam, ignobilioribus noctem
feris assignantis, homini nobiliori diem, vtque illæ
noctu melius, quàm interdiu cernerent, humidiori-
bus & crassioribus præditæ oculis lucem refugerent,
in tenebris viderent, vt leones, lupi, feles, &c. Quod
secundùm mystologiam nihil aliud denotat, quàm
quod Gentes tenebris infidelitatis occupatæ, & fidei
lumine seu iubare destitutæ, beneficio luminaris mino-
ris præfidentis nocti (puta Deiparæ) ad fidem & calo-
rem maiorem peruenturæ essent, a quo nec Pelagius
absconditus in Spelunca potuit se abscondere.

Item

*Item illud Psalmi eiusdem:
Catuli leonum rugientes, & quærentes
a Deo & Deipara escam sibi.*

Multi sæpenumero, vt Euthymius refert, conspexerunt famis aut sitis tempore, animalia cælum ipsum intueri, & ineffabili quasi sermone quodam factorem suum inuocare. Clamare ac inuocare coruorum pullos Iob & David testantur: qui & rore pascit eos, vel muscis circa nidos eorum volitare iussis. In sensu mystico catuli leonum sunt ferocioris & generosioris indolis homines, qui militarem annonam expectant e cælo, de manu liberaliore Deiparæ. Docet hoc emblemata sperandum esse exercitibus fidelium non in præda, vel annona recondita, sed in illius misericordia, quæ dum aperit manum suam, implet omne animal benedictione.

§. 35.

*Catelli Evangelici edentes de micis, quæ cadunt
de mensa diuitis Dei Matris.*



Vidni liceat etiam transferre per accommodationem ad Mariam, quod in Evangelio Syrophænisæ mulier affert de catellis, qui edunt de micis, quæ cadunt de mensa diuitis? Cuius enim mensa ditior aut instructior, quàm ipsius, quæ nobis de cælo verum panem

edidit in Bethleem id est in domo panis. Hic est panis ille, qui ex satis tribus farinae (de quibus in Evangelio) coactus, satiat omne saeculum, & mundum uniuersum. Micæ illius, sunt prouidentiae diuinæ & Angelicæ effectus prouidet enim Deus & Angelus omni creaturæ suæ famescenti vnde S. Franciscus, panem Angelorum, vocitabat: panem mendicatum, quod procurantibus Angelis, illum tribuant fideles, & accipiant mendicantes. Nouerat hoc diuinæ largitatis beneficium ipsa quæ in Cantico suo decantauit illud: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Ad eam igitur confugiant catelli Euangelici in feriis esurialibus & necessitatibus suis? exemplo S. Dominici, quem sub forma catelli rufi & ignei, mater ipsa quæ eum peperit, mundo edidisse visa sibi est. Huius Ordinis viros innumeros quandoque sub chlamyde sua tectos tutosque beata Virgo mater ostendit.

§. 56.

Explicatur illud: Animalia tua, Deus, habitabunt in ea Psalm. 67.



Cio hunc versum Psalmi a quibusdam explicari de figuris animalium, quæ pictæ cernebantur in vexillis seu labaris castronibus duodecim tribuum, & in metatione castrorum expandebantur super quamlibet tribum.

Sed

Sed non minus suauiter sapit, si dicatur cornupetas bestias & omnis generis animalia habitasse in adiutorio Virginis Matris, & in protectione reginæ cæli commoratas. Linteum illud quadrupedibus & reptilibus plenum, (per quod omne genus hominum intelligitur) substratum fuit pedibus eius, iuxta illud: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, in super & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris. Extra cælum neque esse, neque posse esse quicquam eorum ostendit Aristoteles, hac ratione, quia neque locus, neque vacuum, neque tempus est extra: & ideo quæ ibi sunt, neque in loco existunt, neque tempus ea facit senescere, neque est vllius vlla mutatio, sed immutabilia & impassibilia optimam agunt & opulentissimam vitam omne æuum. Quicquid in cælo & sub cælo est, substernitur pedibus augustæ Virginis matris, & hac ratione dicuntur animantia omnia cælestia, terrestria, & infera habitare in ea, quia Deus omnia subsidit & conclusit eius imperio, quod paludamento (is autem est ambitus cæli & terræ) definitur.

*Explicatur seu potius aptatur illud;
Ortus est sol, & congregati sunt,
Et in cubilibus suis collocabuntur.*

Nocte posita statim insanientes bestia malarum cupiditatum (vt eas S. Cyprianus appellat) incipiunt velut ex latebris suis prodire, in congrua sibi efferuescere

cere opera, sed ex oriente sole antra sua reperunt. Sol & dies quę nescit occasum est sacratissima Virgo mortalibus & animalibus omnibus aperiens asylum. Hęc eadem nubes est, quam Deus expandit in protectionem eorum, sub qua amphibia animalia, hybrida, & quęcunque alia in vnum mitigantur contubernium. Sicut enim ordinem seculi, tanquam carmen pulcherrimum ex quibusdam antithetis Deus cohonestat, vt ait S. P. N. Augustinus, ita ex omni genere animalium mansuefactorum laus Deiparę maior existit.

§. 57.

Quę sint alę protectionis B. Virg.



Guilielm
Paris. lib
de Rhe-
tor. diui-
na. 6. 10.

Alę protectionis eius sunt impetratio veniæ, & obumbratio in tentationibus. De qua Guilielmus Parisiensis: Absit, inquit, a Matre Dei, quę fontem pietatis toti mundo peperit, vt cuiquam miserorum suę misericordię subuentionem vnquam deneget. Innumeris exemplis magnificorum opetum misericordię tuę, quę operata es erga peccatores miserrimos docuisti nos & persuasisti de tua misericordia confidere, de tua pietate sperare, & in omnibus necessitatibus nostris sub alis tuę protectionis confugere. Et paulò post: Quia ergo supra omnes homines & Angelos diligis gloriam benedicti filij tui, quę indubitanter maxima est ei ex saluatione

saluatione perditorum, maximè placet tibi procurare
lam. Hoc est autem impetrare peccantibus gratiam
ipsius, his qui vitiis & peccatis offensi sunt illi.

§. 38.

*Reptilia in multiplici differentia Maria
pedibus adrepentia.*



Ideas adrepere Mariæ pedibus reptilia quo-
rum non est numerus. Quædam enim tra-
hunt ac rapiunt se vi oris, vt vermes aliqui.
Quædam vi costarum, vt Serpentes: alia
vi pinnarum, vt pisces: alia vi annulorum, vt anima-
lia annulosa. Plæraque quamuis habeant pedes, ta-
men in signum terreæ suæ originis magnam partem
corporis sui terreæ applicant, vt stellio, & lacerta. Sunt
& media inter aquatica & terrestria, vt crocodili.
Quædam ex exhalationibus generantur, vt bibiones
ex vino, & papiliones ex aqua. Quædam ex corrup-
tione humorum aquaticorum, vt vermes ex cisternis.
Quædam ex cadaueribus, sicut apes, & ex iumentis
crabrones, ex aquis scarabæi: ex corruptione ligno-
rum teredines. Quædam ex corruptione herbarum,
vt tineæ ex oleribus. Quædam ex corruptione fru-
ctuum vt gurguliones ex fabis. Hæc animalcula lo-
cum non habuerunt in arca Noe, regnante diluui-
o: sed perierunt. Verum sub fœderis arca alia, Maria pro-

reguntur, & confouentur: immò vt iam sæpe repeti-
tum est in superioribus, manu demulcet. Per hæc au-
tem intellige curuas in terram animas, & cælestium
inanes. Accedite peccatores ad eam & illuminamini,
& facies vestræ non confundentur.

§. 39.

Cicurata animalia obnoxia Deiparæ.

Dænus ille, qui primus manu leonem de-
mulsit & mansuefecit, ostracismi pœna
damnatus est a Carthaginensibus, dictitan-
tibus leonem qui manu tractasset, ausu-
rum etiam quandoque liberam Remp. sub iugum &
imperium suum mittere. Nos verò non vitium, sed
infinಿತæ quodammodo virtutis esse pronuntiamus,
quod manu Virginis cicurentur bactrocameli, vri seu
bisontes, dracones, lupi, & vnicornes, præster & hæ-
morrhoids: bisulca, aliaque ferræ in morem dentata
animalia, per quæ aptè intelligimus gentium feros
mores, & peccatorum diuersa genera. Aristoteles lib.
1. c. 1. de Hist. anim. diuidit animantes, aitque alias
esse cicures, vt hominem, & mulum: nonnullas etiam
facile posse mansuescere, vt elephantum: alias perpe-
tuò feras esse, vt pantheram, & lupum. Sicut quæ
multiplici pedum fissura digitentur, vt canis, leo,
panthera. Quædam dentibus ita dispositis, vt series acu-
torum

torum dentium mutua insertione pectinatim se constipet. Leonibus & pardis, ait Plinius lib. 11. c. 37. lingua est imbricatae asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis. Quæ causa, etiam mansuefacta, ubi ad vicinum sanguinem peruenit salua, inuitat ad rabiem. Hæc autem quantumuis diuersissima animantia secum, & cum aliis pugnantia sunt tamen Mariæ obnoxia ponuntque ferocia
Ræni leones corda volente Deo & Diua.

§ 40.

Mundorum & immundorum animalium discretio



Thomas in prima secundæ pulchrè diducit quid per animalia bisulca iisque contraria significetur, cuius verba hic reddo. *Primò inquit scire oportet quod per animalia munda & immunda, homines diuersorum morum signari constat ex hoc, quod Spiritus sanctus volens principem Apostolorum ad Gentilium conversionem transmittere, primò ostendit ei in visione Vas, in quo omnia quadrupedia, serpentia, ac volatilia, & bestie terræ, dixitque ei: Surge, Petre, occide, & manduca. Itaque per animalia illa prohibita designantur reprobi mores, diuersaque vitia, a quibus cauere oportet. Vnde in libro contra Faustum loquitur.*

quitur D. Augustinus: Si de porco & agno requiratur, utrumque quoad suam naturam, siue essentiam mundum est, quonia omnis Dei creatura bona est. Quaedam vero significatione agnus est mundus, & porcus immundus, tanquam si stultum & sapientem diceres. Utrumque hoc nomen natura uocis, & litterarum, ac syllabarum, ex quibus constat, mundum est: significatione autem unum est mundum, aliudque immundum: sic animal quod ruminat, & findit ungu- lam, significatione est mundum: quoniam fissio un- gule significat distinctionem duorum testamentorum, seu personarum in diuinis, duarum quoque natura- rum in Christo, atque discretionem boni & mali, seu veri & falsi. Ruminatio autem significat meditatio- nem scripturarum, & sanum intellectum earum, siue assiduam recordationem omnium pertinentium ad salutem: & cuicumque alterum horum deest, spiritua- liter est immundus: ad quod designandum, illa sola, inter terrestria animalia esui Iudeorum sunt con- cessa, que ungu- lam findunt ac ruminant. Similiter in piscibus illi qui habent squammas & pinnulas, sig- nificatione sunt mundi: quia per pinnulas significatur uita sublimis & contemplatiua: per squammas ui- ta poenitentialis & aspera: quorum utrumque neces- sarium est ad spirituales munditiam & perfectio- nem. In auibus autem specialia quedam auium gene- ra prohibentur, per que specialia peccata notantur.

In aquila enim, quæ altius volat, prohibetur superbia. In gryphe qui equis & hominibus est infestus, potentium crudelitas reprobatur. In haliæto, qui pascitur avibus minimis, designantur qui pauperibus sunt molesti. In miluo, qui pullis insidiatur, dolosi. In vulture, qui mortes & seditiones hominum cupiunt. Per coruos nigerimos, si qui voluptatibus denigrantur. Per strutionem, qui quamvis alatus sit, volare non valet, religiosi & clerici, qui secularibus negotijs se immiscent. Per nycticoracem de nocte clarè videntem, si qui in temporalibus sunt astuti, in spiritualibus hebetes. Per larum in aère volantem, atque in aquis natantem, hi qui cum Evangelio observant legalia: vel qui per contemplationem volunt volare, cum adhuc aquis concupiscentiæ, seu fluctibus passionum immergantur. Per accipitrem hominibus deseruientem ad prædandum, ministri qui potentibus obsequuntur ad pauperum prædationem. Per bubonem nocte alimentum querentem, luxuriosi præsertim adulteri, qui in suis actibus tenebrosis & obscenis querunt latere. Per mergulum in aquis se diu abscondentem, ut deuoret pisces, gulosi, qui in delectationum suarum humoribus, se demergunt. Per ibim seu ciconiam serpentibus vescentem, inuidi, qui aliorum aduersitatibus tanquam serpentibus reficiuntur. Per cycnum album & candidum, longo collo cibum, trahentem ex terræ aut aquæ profunditate,

hi qui per apparentem iustitiam querunt lucra terrena. Per onocrotalum, qui in folliculis suis cibaria colligit, & ea postea mittit in ventrem, signantur auari. Per porphyrionem, qui omnem cibum suum aquis intingit, hi qui iuxta aliorum arbitrium nil facere volunt, sed solum quod tinctum fuerit aquis propriae voluntatis. Per herodionem, seu falconem, hi qui proni sunt ad sanguinem effundendum. Per charadrium, quae est garrula avis, loquaces. Per pupam, in cantu gemitum simulantem, tristes inordinatè. Per vespertilionem circa terram volantem, hi qui seculari scientia praediti, sola terrena sapiunt. Per quadrupedia repentia, hi qui doctrina quatuor Evangelistarum sic abutuntur, quod per eam ad amorem caelestium non leuantur. Hæc D. Thomas.

§. 41.

Vrus siue bisons.

Rus siue bisons bos est, non cicur aut domesticus, sed agrestis & ferus, qualis videtur fuisse Nabuchodonosor, postquam cor feræ datum est ei, & ab humano commutatum, eiusque capilli succreuerunt in similitudinem leonum. Talis fortasse Gyges ac Minotaurus fuit, quos finxit antiquitas partim tauros, partim homines fuisse: fortè per præstigias, tales euasere: quomodo nostri lycan-

canthropi cum sint homines & fagi, ope demonis ita perstringunt oculos intuentium vt videantur esse lupi, gregesque ouium, quasi lupi inuadere & occidere, ac mox strage peracta in formam humanam reuerti. His non absimiles sunt, qui per alienam metamorphosim, dum ex melancholia infaniunt, in aliorum subinde animalium formas mutatos se esse imaginantur, faciuntque & patiuntur omnia quasi reuera ita esset. Accedant & hi ad pedes Virginis, sub eius calyptra se ilatebrent, & dimidium mentis, quam illis morbus eripuit, recipient.

§. 42.

Mustela.

Quam Græci vocant ictidem, nos mustelam dicimus, animal paruum sed oblongum, flauis coloris, columbariis, ac id genus auariis infestum, oua exorbens, ipsasque volucres enecans, quotidie suos transferens catulos, & serpentes persequens. Figura est hominis insidiosi, ex rapto viuere soliti. Nec hic a contubernio Virginis reicietur, si feritate posita, subdat se pedibus eius.

M 2

Uni-

Unicornis.

Unicornis ab speleo, seu cauea, in qua de-
git, omne venenatum abigit, teste Beda:
nam odor eius omnia virulenta fugat aut
necat. Caput deponit in sinu Virginis, &
sic capitur a venatoribus. Hanc in effigie scite repræ-
sentat P. Salazar in Tractatu, quem pro immunitate
B. Virginis ab originali edidit. Virgini rectè applicat
S. Bonauentura versiculum illum *Psalmi 88. Et edi-
ficauit sicut unicornium sanctificium suum*: Et de
Christo similiter intelligitur illud: *dilectus quemadmo-
dum filius unicornium. Psal. 28.* fuit enim vnicus
matri suæ, dilectus genitrici suæ: benè figuratus per
catulum leænæ: cui secundus partus non contingit,
teste Epiphanio. Eius catulus, inquit, vsque ad perfe-
ctionem in vtero gestatur, vtque adeò omnes dentes
habeat, priusquam ex vtero prodeat, & vngues in
statura firma clauiculares, appellatos dentes caninos
& molares. Talis fuit & filius Virginis perfectus Deus
perfectus homo in vtero matris: vnde & Ieremias ait:
femina circumdabit virum, non chlamyde sed carne
sua Virginea.

Ichneumon.

Ichneumon per os intrans in ventrem crocodili eum erodit, & occidit. Figura illius est, qui mortem occidit, & infernum momordit: & hic sub paludamento Virgineo primas sibi vendicat.

Locusta.

Hoc animalculum ferè totum ventre constat, mysticeque significat carnalem & lascivium hominem qui ventri servit, ut Ioannes Cardinalis Vitalis explicat. Alij interpretes Christum resurgentem locustam faciunt iuxta illud Psal. 108. *Excussus sum sicut locustæ.* Ad instar enim locustæ e sepulchro exsiliit. Sed siue vitium, siue virtutem sonet, semper sub umbraculo Virginis locum habebit: Ipsa enim & peccatores & iustos, adeoque Christum ipsum resurgentem, æquè ac occidentem sinu pietatis suæ complectitur.

Ciconia.

Ciconia Mariæ quoque est obnoxia, nam & virtutum eius est hieroglyphicum quæ lingua carens, significat eam tacito omnia perficere silentio, nec debere nos super ea loqui, quæ nulla humani vis ingenij satis queat admirari.

§. 47.

Præster & hæmorrhois.

Erpentium sceleratissimi sunt præster & hæmorrhois, teste Plinio, quorum hic morfu omnem elicit sanguinem, ille humorem prorsus omnem absumit, atque adeò vitam seu vitales spiritus ebibit. Aduersus horum præsentissima venena valet rubi flos aut mori. Quid aliud est virginitas tua, o Maria, nisi rubus incombustus? Sub huius vmbra sedeant Serpentes (peccatores) & meliusculè habebunt.

§. 48.

Lutra.

Vtra animal amphibion, cuius esu, multò minus, quàm auium esu solui ieiunium, certum est. Socrates lib. 5. c. 20. volatiliùm & natatiliù esum iuxta habet. Quem fortasse sequutus S. Benedictus, suis quadrupedum carnibus interdixit, auium concessit. Lutræ tamen licet quadrupedis carnibus, sed non auium vescitur Ordo Cartusienfis. Expande sinum tuum in asylum, o Virgo virginum, & omnis caro ad te veniet, piscium, auium, lutrarum, &c. per quæ animalia diuersitatem religionum intelligimus.

Echidna.

§. 35.

Echidna.

Chidna foecunda pænis viscera trahens partu suo rumpitur, & morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem, inquit Ambrosius. Illam morsibus suis scindit. Illic vbi nascitur, venenum primum probatur. Figura est, vsurarij, teste Catone, qui interrogatus, quid esset fænerari, respondit, est hominem occidere. Confirmat idem D. Ambrosius c. 10. de Tobia, qui ait: Nihil inter funus & fœnus, nihil inter mortem & sortem. Fæneratoris pecunia omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior: si eam ad pedes Virginis deponat, saluabitur, sed quasi per ignem.

§. 49.

Lupus & agnus.

Regarios facit Isaias lupos & agnos: Lupus & agnus, inquit simul pascentur. Lactantius putat hoc ad litteram, vt sonat, verum futurum post iudicium, per mille annos, quibus Sancti cum Christo, secundum eundem, regnaturi sunt super terram. Verum hic error fuit Chiliarum siue millenariorum. Vide an non verius de Chiliararcha Pelagio & de eius chiliade dici queat: si enim
licuit

licuit S. Ambrosio hæc verba accommodare militi Christiano, qui vt Virginem ad lenonem damnatam eriperet, primus in lupanar irrupit, & commutatis cum ea vestibus, se pro ea substituit, quidni liceat similiter lupos dicere Pelagij socios, & agnam Virginem matrem, sub cuius vmbra, velut vestimento habitarunt in Spelunca?

§. 50.

Damula.

Est damula genus capræ siluestris, de qua versus:

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum:

Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

Robustus venator est diabolus. Quisquis igitur quasi damula erui vis de manu venatoris & aucupis, respice Speluncam hanc, voca Mariam.

§. 51.

Vulpio.



Puleius vulpionem facit versipellem. Fingit in publica via se exanimem, vt aues carniuoras insidentes sibi deuoret. Contra leones dolis & suspicione carent: nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt. Hinc veteres pinxere leonem inclinantem caput noctuæ, quæ symbolum est sapientiæ. Tu quoque quisquis astutam

astutam seruas sub pectore vulpem, esto potius (iuxta
vetus Hæbreorum prouerbium) cauda leonum, quam
caput vulpium: inclina caput tuum, non noctuæ, sed
Mariæ, in qua est plenitudo potestatis & omnimodæ
tutelæ.

§. 52.

Asinus & leo.



Ontubernalem facit asino leonem Cyril-
lus lib. 1. Apol. mor. c. 16. Leonem, inquit,
socius asinus antecedens, cum de longè
luporum turmam aspiceret, eminus cæpit
vocem emittere, vt eius granditate ventosa grex ini-
micus discederet percussus. At verò cùm hostes a cla-
more hunc esse asinum cognoscerent, fixi stantes cæ-
perunt ridere, scientes tantum sonitum pectoris mi-
nimè respondere virtuti cordis. Tunc leo percepta
voce statim cucurrit ad socium, & dixit: Amice, quid
est tibi, quod clamaisti? Cui ille: mi frater, grex lupo-
rum apparuit, quem grandi voce perterrui, nec se mo-
uet: sed mox ad odorem tuum non sine mea admira-
tione disparuit. Ad hæc leo prudenter subridens: si no-
sti, inquit, nequam lupo est callidus, clamorem de-
ridet, ac virtutem tantum timet, latratum canis sub-
sannat, dummodo morsum effugiat. Tanti refert iun-
gi localitiis B. Virginis, vt etiamsi sis asinus, aut le-
pusculus plebs inualida, virtute tamen Collegarum

N
tuo-

tuorum fieri poterit vt luporum infernalium rictus
 euadas. Extendere licet hunc apologū ad omne genus
 Congregationum, quæ sub tutela Virginis Matris
 degunt.

§. 53.

Lupus & aquila.

Georgi-
 us Strég.
 in Labyr

Olim dum Lauinium conderent Troiani,
 in nemore sua sponte conflagrante, lupus
 ore suo fomitem aggressit aridum, aquila
 alarum ventilatione velut pro flabello fuit
 sed (quod prodigio simile fuit) vulpes cauda madefa-
 cta conata est ignem extinguere: cumque diu Marte
 dubio, nunc accendendo leo & aquila, nunc extin-
 guendo vulpes præualeret, tandem robore victus est
 astus. Bonum id omen Æneas interpretandarum reli-
 gionum pertissimus arbitratus est. Idem hodieque cer-
 tamen videas in orbe nostro. Vulpinatur hæresis, Leo
 Belgicus, & aquila biceps Austriaca pro tuenda domo
 Dei, quæ est Ecclesia pugnat: Spes non minima est,
 quod Deo & diua protegente, bona causa, ac flamma
 triumphabit, & domus Æneæ, Capitoli immobile
 saxum stabit, & perennabit.

§. 54.

Pardalis.

IN Maurusia simiarum ingens est copia: Pardalis
 autem ex earum viuit venatura. Sed vt eas adescet
 & capiat, vtitur astu. Sub arbore se resupinat, ac
 emori se fingit palpitantibus & extensis cruribus. Quod
 vbi

ubi conspexerint confidentes in arbore cercophithecii,
 deposito metu descendunt, insultantque mortuæ ve-
 lut choro facto. Tum illa sentiens eas gesticulando
 defatigatos, subito reuiuiscit, & mox alium dentibus,
 alium unguibus deartuat. An non idem videmus sub
 chlamyde Virginis, in sodalitate puta vel congrega-
 tione ipsi deuota? In ea persæpe stabulatur hypocrisis
 & pietas. Insultat simiatica simulatio & fictio: sed si-
 cut virga Moysis magorum deuorauit virgas & præ-
 stigias: ita vanitatem veritas, & hypocrisim incorrupta
 sinceritas.

S. 55.

Fera cui nomina mille.

Persequitur me hostis, inquit Hieronymus,
 cui nomina mille, mille nocendi artes, dra-
 co septiceps, irrufatus sanguine Sanctorum.
 Insidiatur quasi leo in spelunca sua; & ego
 frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos
 futurus præda carpam? Inde me persequitur luxuria,
 inde auaritia conatur irrumperere, inde venter meus
 vult mihi Deus esse pro Christo: compellit libido, vt
 inhabitantem in me spiritum sanctum fugem, vt tem-
 plum eius violem: & ego infelix victorem me putabo
 dum capior? q. d. absit, sed assumam pennas sicut co-
 lumbæ gementis pro peccatis suis, & volabo, & re-
 quiescam sub umbraculo Virginis, tumque verè dice-

re ex animi sententia potero: Ecce elongaui fugiens,
& mansi in solitudine, septus eius chlamyde, velut in-
expugnabili claustro.

§. 56.

Astus diaboli figuratus.



Arrat idoneus auctor oculatus, inquit Strē-
ghelius c. 13. Labyr. nostra quoque ætate
Monachij leonem, cum videret passerēs
agminatim in caueam suam deuolantes,
humi iacuisse immotum velut mortuum. Passeres astu-
ta volucris alioqui, vel mortuum nihil sentire, vel
dormientem nihil cernere opinantes, propius accessere
& nescio quid circa illum pipeantes, nouo prorsus
stratagemate, periere. Subitò enim leo horrendum ir-
rugit. Quo rugitu ita territi sunt passerēs, vt velut
exanimes conciderent. Ita callidus auceps sibi delicias
ex auibus fecit. Diabolus leo est non virtute, sed ferit-
ate: nos passerēs sumus. Melius nobis erat in mon-
tem illum, qui eleuatus est in vertice montium trans-
migrare, quam in spelea leonum. Suspecta nobis esse
debent illa claustra & conuenticula, in quibus præ fo-
ribus custos seu portarius diabolus dormitat: securio-
ra sunt ea, in quibus virga & B. Virgo vigilat.

Bestia Apocalyptica.

Ubi dicitur, *quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes ursi & os eius, sicut os leonis.* Apocal. 13. Quænam hæc bel-
 lua tam difformis, vt nec pes, nec caput vni reddantur formæ? vide an non mera sit imago diaboli, cui nec deest pes ursi, nec vrisæuitia, nec os leonis rapientis animas: sed nec varietas pardi: mutat enim se in omnes facies, & Protea semper fingit. Docet Plinius qua ratione vinci queat. Si pallium obiicias, quo velentur eius oculi, bestiaæ furorem euaseris: quia omnis vis & feritas consistit in eius oculis. Quisquis igitur intelligis te habitare cum bestiis, fuge sub chlamydem tutelaris diuæ, Dic ei: sub tuum pallium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras vicissitudines ne despicias.

Formica.

Recordemur Salomonis ad fornicarum collegia nos amandantis, vt non deseramus collectionem nostram, sicut consuetudinis est quorundam. Vade ergo (Sodalis) ad formicam, contemplare earum Recomp. Ibi videas quasdam angusto calle maiora ferre onera, quam

corpora. Alias herbarum quædam semina forcipe
oris trahere: alias egerere humum de foueis, & aqua-
rum meatus aggeribus excludere. Illas haud ignaras
futuræ hyemis, ne madefacta humus in herbam hor-
rea vertat, illata semina præcidere. Has luctu celebri
corpora defuncta deportare. Idem videas in bene or-
dinata Parthenia Sodalitate, quæ chlamyde Deiparæ
contegitur. Ibi enim si quis sodalium sub onere fatif-
cat, erigitur, adiuuatur, fouetur a fratre sodale.

§. 59.

Emblema bouis.

Xtat emblema bouis cum hac inscriptione:
aris & agris. Significatque hominem, so-
cialem vitam amplexum, & sub alis B. V.
sperantem, aut agere aut pati debere. Qui
arat orat: qui cædit, cogit. Exemplo sit ille, qui ma-
num in ara reliquit, dicens: Aut agere, aut pati fortia
Romanum esse.

§. 60.

Equitatus sub chlamyde B. V.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimila-
uite, amica mea Cant. i. Equitatus Salomonis
constabat duodecim millibus equitum Educe-
batur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa. Egredie-
batur autem quadriga de Ægypto sexcentis siclis ar-
genti. Quæ comparatio equitatus cum collegis seu col-
col-

collectionibus sub pallio Deiparæ delitescantibus? Hæc minus apta visa est quibusdam: ideo verterunt Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilavi te (sic enim vertit Origines & Theodoretus) vtrumque dici potest, nam & equa gloriæ est B. Virgo, quæ 4500. leucas confecit in obsequium templi, vt in eius Itinerario fufius ostendi. Equitatu etiam, & curru non malè assimilatur eius Sodalitas decem millibus multiplex: in qua millia lætantium, & dominus in eis. Ex omni parte, ex Ægypto, & de Coa, & ex Syria, adeoque ex omni plaga mundi confluunt sub chlamydem eius omnes Gentes pernecitate mirabili.

S. 61.

Capreae ceruicque camporum.



Adiurantur filiae Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitent, neque euigilare faciant dilectam donec ipsa velit. Cant. 2. Rupertus adiurari ibi censet filias Ierusalem terrenæ per sanctos Patriarchas, ne excitent silentium B. Mariæ, ad loquendum de aduentu Verbi in mundum, donec ipsa velit, ne Herodes Christum occideret. Vel adiuratio facta est per istos; ne inquietæ adolescentulæ audeant leui ex causa dilectam auocare a collegio mysticorum animalium, clamantium die ac nocte Sancta, Sancta, Sancta clemens & pia &c.

Chlamys

*Chlamys eadem B. V. assimilata
Arca Noe.*

IN Arca Noe præcesserat huius collectionis figura, in qua terrestrium Arias numerat species 150. exceptis serpentibus. Serpentium autem & reptilium species 25. ponit Pererius, vniuersim species animalium terrestrium circiter 175. in quibus sex tantum sunt maiores equo, pauca æquales, multæ minores etiam ouibus. Et omnia hæc terrestria Pererius æquat 250. bobus: nec in arca plus loci censet occupasse, quàm occupent 250. boues. Auium vix 150. species apud Gesnerum inuenies, in quibus pauca maiores sunt cyncnis, plæræque ijs minores. Potuitque arca facillè hæc omnia capere, cum eius capacitas fuerit 450000. cubitorum, communium non geometricorum. Quamuis Origenes, Isidorus Clarius & Delrius putent potius intelligi debere de geometricis, non de communibus, qui continent sex cubitos vulgares. Nulla erit analogiæ offensio, si dicas Speluncam Pelagij, vel chlamydem Deipare velut Arcam Noe fuisse.

Emble-

Emblematis recapitulatio.

Hic aliquis meritò nobis obijciat illud Horatianum : amphora cæpit institui , cur vrceus exit? Spelunca cæperat describi, cur desinit in Emblemata? Fateor longius ab instituto dilapsus sum: sed tamen non pænitenda hæc, vt opinor, erunt parerga, si demonstrare quiuero speluncæ aliquid affine fuisse cum paludamento Deiparæ, & arca Noe. Et verò sicut sub pallio seu præsidio Diuæ fatendum est conclusum omne sæculum fuisse; sic & in illa Spelunca Seminarium regum, populorū, immo salutem orbis terrarum, quæ deinceps propagata est in omnem non solùm Hispaniam; sed & in Indiam vsque & Iaponiam, in Asiam, Africam & Europam, nam quocunque Pelagij posteritas, & arma Catholicorum Regum penetrarunt, ibi mox Orthodoxa fides, & sanitas dogmatum, & omnia beneficia beneficiorum, desiderabilia super aurum & topazion confluxerunt in vnum. Habet etiam analogiam aliquam hæc Spelunca cum Arca Noe, (quæ figura fuit Deiparæ) quia sicut in Arca reliquiæ generis humani, seminis Sancti, paucæ quidem id est octo animæ saluæ factæ sunt, & in eos tradux ad propagationem: sic & in hac specu paucissimi, adeoque vix mille viri:

nam capacitas eius, vt dixi mille viros armatos capiebat, quæ etiam respondebat vastitati arcæ, in qua præter stabula, quæ 250. bobus suffecissent, etiam præsepia totidem vel plura fuisse necesse est ad pabulum & annonam vnius anni recondendam. Sed iam reuocanda oratio est: audio enim vocem dicentis: *Veni de Libano, veni coronaberis de capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Reuocatur ipsa præsul & præsidium nostrum de Libano, qui dealbationem significat, quo perspicuum fiat, eam nihil ex Societate tot animalium contraxisse sordium. Nescio an commemoratione sit dignum, quod ait Cartagena citans Eisengrenium & Dion. Cart. auctores vel testes potius assertionis suæ: His verbis nimirum reuocari B. Virginem ad litteram ex Nymphæo, cui præfuit; centum & quinquaginta virginum, Ordinis & montis Carmeli. Quod an probabilitatem aliquam habeat, non definitio, disputent & disquirant alij.

§. 64.

Solitudo Asturiarum a quibus culta.

HActenus circa dedicationem Speluncæ S. Mariæ Couadonganæ versati sumus. Nunc libet in censum adducere aliquot eorum nomina & exempla, qui locum hunc accoluerunt. Occurrit in primis Ataulphus tertius Compostellæ

postellæ Episcopus vir priscis comparandus ascetis. Hic a quatuor Ecclesiæ suæ seruis de crimine pessimo, falsò accusatus, cum a rege, parte inaudita altera, vt infandi criminis reus damnatus esset; peracta rediuna, vti erat sacris infulis redimitus, rectà contendit ad ædes regias. Rex, eo conspecto, in furorem versus, taurum indomitum in eum concitat. Sed taurus tactu leni manus Ataulphi mansuefactus, cornua in manibus eius, veluti si exemptilia fuissent, dimisit, & mox in saltus ac auia Asturiorum montium præceps abiit. Quem præducem sequutus Ataulphus; in eandem solitudinem deuenit, vbi maxima dedit perdecennium sanctitatis indicia. Nec dubium, quin Ausenæ montis iugum, & Speluncam hanc sub-inuiserit & accoluerit. Vbi cum viuendi finem fecisset, & ad miraculum vsque vita & mors eius pretiosa in cōspectu Domini refulsisset, Sisnandi successoris operâ corpus eius ad Compostellanam relatum ecclesiam condigno honore conditum est.

§. 65.

*Urbanus Toletanus antistes in
Asturias migrat.*



Nualescente Maurorum potentia in Hispania, & sobolescente in dies impietate, cum nihil vsquam tutum esset ab eorum direptionibus, Urbanus Toletanus antistes,

vir per id tempus sanctitate, eruditione, atque etiam miraculis clarus, verum hic esse ratus, quod ait Plinius iunior, non miscenda duo maxima, ne tanta quasi colluie turbatus ibi faciam, quod hic debeo; Sacrosanctis Diuorum Reliquijs tempestiuè prospexit, & in Asturias transtulit. Indignum enim viro sancto visum superstitionibus & abominationibus Saracenorum misceri ipsana Christianorum. Hoc, inquit, hoc palladium & munimentum erit Asturibus aduersus quoscunque casus. Diuitiæ meæ, Reliquiæ; desint cætera.

§. 66.

*An S. Iacobus Apostolus Asturias inuiserit,
& an hanc Speluncam?*

Franciscus Biuarius constanter asserit S. Iacobum in sortem prædicationis accepisse totam, quàm latè patet, Hispaniam. Excellentissimus pariterque eruditissimus Castellæ Comestabilis edito libro de hac re disputans, L. Dextri aliorumque Doctorum auctoritate demonstrat S. Iacobi aduentum in Hispanias. Quem tam multi, magni nominis viri sequuti sunt, vt ferè ad numerum redigi nequeant. D. Ioannes de Salazar ceterum & decem recenset auctores, qui id tenent. Franciscus de Iesu auxit numerum ad centum quadraginta octo. Præcipui tamen in hac sententia duces sunt quatuor

quatuor summi Pontifices Innocentius 2. Leo 3. Calixtus 3. Item ex Patribus S. Hieronymus in Isaiam. D. Isidorus: D. Athanasius, Braulius, Beda, Notkerus, Walfridus, Strabus, Venantius Fortunatus, Otho Frisingensis &c. Reliquos citatos vide apud eundem Biuarium Comment. in Fl. Dextrum ad annum Christi 36.

Quod si in omnem latè excutrit Hispaniam¹, quis abnuat in Asturias, & in montis Aulenaë iuga peruenisse, montesque reliquos aditu suo consecrasse? Certè anno 1595. repertæ sunt plumbeæ tabulæ in sacro mōte Granatensi, quarum tenorem seu inscriptionem placet hic apponere, quam templo, tum nouo, tum magnifico Montis istius Granatensis Alderete composuit, quod totam historiam earum complectantur: ex quibus colligere facile sit, multa latere que necdum patefacta sunt antiqua rerum monimenta

Beatissimo Apostolo Iacobo, tomtrui filio, Hispania tutelari:

Qui IESV-CHRISTI Dei & seruatoris nostri, Genitricisque eius

Virginis Mariae iussu & auspiciis

Fidei lumen vniuersæ intulit Hispaniæ; eam suo illustrauit fulgore

Ilipulitanum hunc sacrum montem dies aliquot incoluit

Atque in eius specu Euangelicæ doctrinæ cathedram, & speculam constituit.

Sanctissimis etiam eius discipulis, & scribis arcano-
rum consciis

Cecilio, Tefiphonte, ex Arabia fratribus ac Iscio:
Qui ingenti labore Beticos populos ab impia super-
stitione

Expiarunt. Pontificias demum infulas, subditis
ignibus

(Sed aethereis magis) flammati
Triumphalibus martyrij laureis ornarunt:

Horum item antistitum discipulis inclytis

Patritio, Nestoni, Septentrio
Turillo, Paruntio, Maronio, Centulio, Maximo, &
Lupario:

Qui Nerouis Imp. anno II.

Vna cum eorum Doctores, ardentibus iniecti for-
nacibus:

In his cryptis illustre fidei dedere testimonium.

Sacrofancti candidissimique omnium cineres annos
amplius M. D.

Hisce conditi cauernis latuerunt ignoti:

Hoc tandem ævo diuinitus reperti:

Et cum eis etiam plumbei libri, plumbo lapidibus-
que clusi:

Non integri modò, sed recentissima specie, ad mira-
culum post tot secula:

Arabicè, antiquissima dialecto, Salomonisque
characteribus politissimè scripti,

Multis

Multis magnisque fidei nostræ mysterijs referti:

Eorum characterem, martyrum agones, tempusque
Laminæ ibidem plumbeæ in his cauernis

Simul inuenta notant.

Ob hæc aliaque augustissima, & diuinissima dona,

Ad quæ mens obstupescat humana;

Sacerdotum templum, aras, ac huius sacri montis,

Et spelæi ornamenta;

Petrus de Castro Quinones Archiepiscopus Granatensis

Votis minorâ, his quibus maiora, angustiora de-
bentur;

Ad laudem tamen, honorem, iustam venerationem

ac eorum memoriam

Pietate plenus sacrat dicatque Anno Domini

CIO. IX. X.

§. 67.

Epistola ad Hebræos, ad quos potissimum
scripta? an ad Astures?



D Hispanicam fidelium Hebræorum Sy-
nagogam scriptam fuisse persuadet, quod
Paulus ait illicò post vincula se ad eos, ad
quos scribit, concessurum, *celerius vide-
bo vos.* Quotquot autem ex Doctoribus S. Pauli re-
ferunt prædicationem immediatè post vincula, nus-
quam præterquam in Hispaniam profectum asserunt:

quò

quò videas ad ipsos fuisse loquutum Id D. Chryso-
 mus disertis verbis testatur Homil. 76. in Matth. Cum
 biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem di-
 missus est. Deinde in Hispaniam profectus inuisit illic
 Iudæos quoque: ac tunc fortasse Romam reuersus est,
 quando & supplicium iussu Neronis pertulit. Fatetur
 ergo D. Chrylostomus ad illos hanc scripsisse episto-
 lam. Idem asserit Theophylactus in præfatione eius-
 dem Epistolæ. Quod etiam Theodoretus super cap.
 1. ad Philippenses scribit.

Latitabant autem per id tempus in Speluncis, &
 cauernis terræ, in montibus & solitudinibus (an non
 & in Asturiis?) vnde & in eadem epistola comme-
 morat illis priscorum exempla Sanctorum, qui circue-
 runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustia-
 ti, quibus dignus non erat mundus. Atque ita propo-
 nit illis tempora mundi prioris recordatione dignissi-
 ma, eosque solatur, ac post persecutionis Neronianæ
 acerbicatem iubet eos sperare dies inoffensæ serenita-
 tis. Liceat igitur fidenter asserere, Speluncam montis
 Ausenæ non ignotam omninò, sed etiam cultam
 Apostolis ac eorum discipulis tunc fuisse.

S. Pe-

S. Pelagij reliqua actiones.

Omani de deuictarum gentium vocabu-
lis adoptiuum insigne sumebant. Similiter
& Pelagius adsciscere potuit, nisi prius ei
delatum fuisset. Suscepit igitur regni titu-
lum & inter signe, non festinatis honoribus: neque
per cochleam ad id fastigium, sed per suffragia tri-
buum ascendit. Ex annalibus non liquet omnino,
quo tempore schema regium assumpserit. Sunt qui
post biennium a clade: nonnulli citius inauguratum
volunt. Ne autem interhiet series & successio regum;
placet, vt ex eo, die quo Rodericus regno pariter &
vita excidit, Pelagius regimen capeffiuisse dicatur; ip-
si que biennium illud licet interea fortassis regnum va-
casset, attribuatur. Id ita si statuamus, eius initiatio-
nem ad annum domini 712. referre licebit: qui regni
Gotici in Hispania fuit 320. Depingitur Pelagius ar-
mati schemate, nudam manu machæram tenentis.
Hic primus insignia regum Gothorum abdicauit, &
noua composuit: leonem fulmineum, seu fuluum in
campo candido depictum: quæ postea fuere regum
Legionis. Coniunguntur nunc per catella scuti cum
armis Castellæ: ex quo regna omnia Hispaniarum, ad
vnum monarcham rediere. An non quod Poeta de
Iunone Carthaginis studiosissima cecinit, ad Deipa-

ram Legionis & Asturiarum tutelarem transferre licet. Hic illius arma, hic currus fuit. Hoc regnum diua Asturis esse, si qua fata sinant, iam tum tenditque fouetque? Nimirum Deiparæ peculium fuit hæc bellicofissimæ pars & portio Hispaniæ, fide & rebus gestis inclyta.

§. 69.

Pelagij maiestas auctior.



VT perpetuo rotatu cælum voluitur, & mare æstuat, utque sol stare nescit, ita Pelagius quiescere non nouerat, sed exercitatione perpetua seipsum suosque acuebat, ad maiora semper pro Repub. audenda. Et ut somnus somnum, ita labor labores eius adescabat. Igitur modò de hostibus prædas agere, modò vastitatem agris inferre: subinde citimos laceßere, nullos non igne, ferro, direptionibus vexare, & ferè semper prospero Marte.

Sicut fortis equus spatio qui sæpe supremo

Vicit Olympia

Sic ille perpetuo victoriarum cursu confirmabat auctoritatem, & augebat religionem conciliabatque maiestatem, que etiam illi ad quæuis tentanda pro æstro promptissimè militabat. Itaque crescebant quotidie propensiora in virum studia prouincialium: aderat.

aderatque fauor numinis, & potissimum tutela beatissimæ Virginis, cui etiam pro immenso, quo in eam ferebatur amore templum construxit in territorio Canicensi, in quo & postmodum sepulturam elegit & accepit: sed hoc posterius: nunc de aliis eius virtutibus adhuc dicendum.

§. 70.

Pelagij virtutes togata.

Obscundante armorum fulgore Pelagius sibi suisque requiem aliquam parauerat, iamque respirare cæperat res Asturum & Cantabrorum; cum ad constituendam Remp. totus intendere, studia pacis & belli ex æquo propè colere, laceras prouincialium fortunas instaurare adortus, non prius destitit, quàm sartam tectam rem Gothicam vidit. Et quamuis in eo maximè eniteret pactorum fideique constantia, in iure dicundo æquitas, & in negotiis dexteritas, ea tamen virtus in eo semper mirabilior visa est, quod in tanta perturbatione temporum, cum præceps esset vbique in ruinam religio, miro beneuolentiæ artificio, digressos ab officio homines ad obedientiam Romanæ & Apostolicæ sedis reuocabat: excepto tamen quod Excelsa non abstulit; adhuc enim sicut populus sic sacerdos cælibatus nullam rationem habebat. Verùm quid faceret in tanta difficultate temporum, quo Mozara-

bum libertas & religio cunctos rapiebat & trahebat in exemplum? Cæterùm rebus Legionensium ingenti felicitate restitutis, religioni & Romanæ sedis arbitratui se suumque regnum subiugavit, vt Witizæ regis corrigeret inobedientiam. Et hinc creditur ipsi aucta felicitas, & quæ per omnem vitam ipsi adhæsit prospera fortuna & securitas. Ipsine suæ virtutes, an subditis plus decoris atque ornamenti attulerint, dubitari potuit. Iuratam sibi fidem ea modestia reposcebat, qua & reddebat. Quod paci & tranquillitati regni maximè sciret expedire, hoc cauebat & curabat quàm poterat. Et si valetudo in omnem sollicitudinem non sufficeret, tales in partem curarum & sollicitudinum adsciscebat, qui ab eius monitis non discederent, nec leuiter eo munere se absoluerent, multò minus qui manifesta crimina pleno ferrent vtero.

§. 71.

Oueti, an Legionem regnauerit?

Riscorum regum tabulæ testantur Ouetum regni tunc sedem fuisse. Fauent & vetera regum Mausolea Oueti, aliisque locis in Asturibus constituta, ex quibus documenta trahi posse contendunt, Oueti, non Legionem regiam ante Ordonium eo nomine secundum extitisse. Hic enim primus se Legionis regem dixit, in eaque vrbe templum D. Mariæ maioris a fundamentis extruxit,

truxit, in quo & funeratus est. Alij nihilominus Pelagium Legionis non expugnatorem tantum, sed & regem faciunt. Expugnavit autem eam anno huius sæculi vigesimo secundo. Regnavit annis 19. vel ut alij volunt 20. Cui cænotaphiū hoc cum ingenti fama & gloria posthuma accessit: *Pelagio pio, Novo Camillo.* Aliud triumphale eius encomium.

Pelagio pio, iusto, felici, triumphatori.

*Quod instinctu diuinitatis, & ope augustæ Dei
matris,*

Mentisque magnitudine,

Tam de perfidis regni & religionis desertoribus

Quam de Mauris Mahumetisis, uno tempore

Iustis Hispaniam ultus est armis

Præf. edill: faciendum curanere,

Eidemque probauere.

Alia viri monumenta & Niceteria apud Causegædie prædium, iuxta quod hostes cecidit, haud dubium quin plura extiterint, sed vel imber edax, aut certè annorum series & caries absumpsit.

§. 72.

Series regum Legionensium Pelagij successorū.

Post Pelagium Fauila filius, Asturum & Legionensium rex est auguratus Anno vno aut altero regnavit, ab yrfo laniatus interiit, nulla re memorabili gesta.

§. 73.

Alphonsus gener Pelagij.

Alphonsus Petri Cantabriæ ducis e gente Gothorum filius, gener Pelagij, regnum Nauarræ, magnamque Hispaniæ partem, & Lusitaniæ vrbes complures, eiecto Maurorum præsidio recepit, & Legionensi regno adiecit. Arianam pestem recidiuantem extinxit: ex quo Catholici illi nomen adhæsit. In eius obitu voces illæ psallentium auditæ dicuntur in aëre: *Ecce quomodo tollitur iustus, & nemo considerat. Ablatus est a facie iniquitatis, & erit in pace gloria eius.* Regnavit annis 19. Sepultus in basilica B. Virginis, territorij Canicensis, quod hodie Cangas dicitur.

§. 74.

Froila.

Hic quamvis moribus, & ingenio minus placido fuerit, favore tamen numinum vsus est, quia licentiam connubiorum sacrilegam, quam Witiza Clero Hispaniarum concesserat, penitus sustulit. Hic idem quinquaginta Maurorum millia cecidit: Ouetensem civitatem instauravit. Apud Canicas in regum Mausolæo conditus est.

Aure-

Aurelius.

AVrelius filius Alphonsi, prudentia singulari fuit. Huius enim studio & dexteritate bellum servile, quod in Hispania exarserat, sedatum & extinctum est. Pœnitentia cædis fraternæ ductus Veremundum Froilæ fratris filium ultimis tabulis scripsit hæredem, & in spem successionis adoptavit.

Silo.

Silo gener Alphonsi regis Gallæciam rebel-
lantem domuit ad Ciperium montem,
qui & Cebrerus dicitur. Alphonsum Froi-
læ filium in collegam seu regni socium
adsciuit. Huius liberalitate multa prædia Valpuestæ
ædi D. Mariæ, quod hodie Canoniorum Collegium
est, accessere.

Veremundus.

MAuregatum prudens prætereo, quia per
tyrannidem regnum inuasit. Huic defun-
cto successit Veremundus, adeo religio-
sus ut cum in memoriam reuocasset, quod
olim sacro Diaconatus ordine fuisset initiatus, reg-
num Alphonso Casto cessit, & vxore deinceps abdi-
cata cælibatum coluit.

Alphon-

Alphonfus II.

Alphonfus Solio Froilæ patris redditus, cū Virgines centum Christianas, quas Mauregatus tributi nomine quotannis dare pactus, & solitus erat Mauris repræsentare renuisset, & ob id fædere rupto, Christiani nominis hostes in se concitasset; obuiam eis processit, & memorabili prælio ad Ledos oppidum eos deuicit. Hoc nimirum est quod ait Orator: vincit laceffita virtus, & quicquid ipsam infestat, concitat. Ex hostium manubiis Ouetensem & Asturiensem ecclesias erexit, perpetuisque censibus firmavit. Hic idem Olisiponem suam fecit. Reliquias diuorum, quas Urbanus Toletanus in Asturias transfulerat, ad Ouetensem basilicam, in qua & sepultus est, reuocauit.

Ramirus.

Ramirus filius Veremundi, vltimis tabulis Alphonfi Casti regno Asturum, Calæcorum, & Nauarræ inauguratur posthabito Bernardo Carpiensi nepote. Huius Ramiri virtuti debet Hispania, quod propitium & patronum in expeditionibus S. Iacobum ferè semper experta sit aduersus Mauros; quos candido vectus equo, niueum præferens labarum, quod rubræ crucis insigne distinguebat, apud
Cala.

Calagurrim ciuitatem caelitus cecidit. Regnauit Ramirus sex annis, sepultus est Oueti.

§. 80.

Ordonius.

ORdonius Ramiri filius mitissimo fuit ingenio: nisi quod Compostellanum Episcopū Ataulphum, de quo supra dictum est, damnauit inauditum: sed tamen innocentia viri perspecta supplex ad genua culpam deprecatus est. Muzam secta Saracenum profligauit, & Salmanticam expugnauit, infinita Saracenorum multitudine partim ad Cauariam caesa, partim in captiuitatem abducta. Hic & Valcones rebellantes domuit. Sepultus est ad Diuae Virginis Oueti.

§. 81.

Alphonsus III.

ALphonsus cognomento magnus annis 46. regnauit. Ecclesiam S. Iacobi Compostellanam, quae yili schemate constructa erat, secto lapide, & columnis marmoreis exornauit. Lusitaniam, Caesar-augustam, Conimbricam, Viseum imperio adiecit. Zamoram condidit. Vascones Nauarraeosque vindicauit, aliaque multa praecclare gessit. Denique regno fortiter administrato decessit, Oueti ad D. Virginis conditus.

Gar-

Garcias.

Arcias regni gubernacula post patrem Alphonsum suscepit anno Domini 886. Is contra Arabes expeditione suscepta regem eorum Ayolam cum ingenti præda captivum duxit. Moritur improlis, Oueti conditus.

Ordonius II.

ORdonius 2. fratri Garciae sufficitur anno 889. Urbem Talabricam obsedit & expugnauit. Lusitaniam totam ferro & igni vastauit. Legionensem B. Virginis basilicam dedicauit, in qua ipse a duodecim Episcopis regio diademate fuerat insignitus. Moritur octauo sui principatus anno.

Froila II.

Hic Alphonfi magni filius, post mortem Ordonij fratris anno 898. regnum, sed non diuturnum tenuit. Filium Alphonsum reliquit hæredem.

Alphonsus IV.

Alphonsus cognomento Monachus quinquennis rex regibus in exemplum statui poterat. Sed postquam leuitate magis quam pietate ductus Monasticen ad D. Facundi professus, moxque

que propositi pertæsus, ad ea quæ reliquerat rediit, nihil prosperum habuit. Conditus est a fratre Ramiro in Basilica a se constructa.

§. 86.

Ramiras II.

Hic pœnitentia urgente, monasterium D. Iuliano sacrum non procul Legionē concedit: in quo nepotibus suis, Alphonsi filiis omnia ad sustentationem necessaria liberaliter, quo ad vixerunt, suppeditavit. Hic idem apud Osmam civitatem Arabes cecidit: itemque apud Simancas aliis octoginta millibus occisis Cæsar Augustanum regem Saracenum in triumphum duxit. Regnavit Ramirus annis vnde- uiginti.

§. 87.

Ordonius III.

Patris defuncti regnum excepit Ordonius 3. Qui Castellæ Comiti reconciliatus, auxilia illi sum- misit, quibus Arabes in ripa Durij ad Divi Ste- phani oppidum fudit. Huius tempore Ferdinandus Gundisaluus Comes cum trecentis expeditis viris ob- uis factus Almanzanoris numerosissimo exercitui, cùm prius a Pelagio monacho de pugnae euentu res- ponsum accepisset, in hostes irruit, & cum exiguis iis copiis tantam edidit stragem, vt Almanzor cum pau- cis vix effugeret. Regnavit Ordonius annos quinque.

Sanctius I.

ORdonius 4. huic præponitur : verùm quia legitimus regni successor non fuit, regum catalogo non inseretur. Sanctius igitur regnum adeptus, annos ipsos 12. tenuit, & filium Ramirum successorem reliquit. Per hæc tempora memor acceptæ cladis Almanazor Saracenus, collecta ex Hispania, & vltima vsque Africa, infinita Barbarorum multitudine, rursus mouit in Castellanos. Quem idem Gundifalvus Comes per tres dies continuato prælio, maiori quàm prius eos clade affecit, S. Iacobo, aspectabili schemate, pro eo depugnante.

Ramirus III.

Hic regno Legionis & Asturiarum totis 25. annis potitus est. Gundriedum Normānorum regem classe centum nauium littora Calæciæ infestantem interneccione deleuit, nauibus omnibus incensis. Obiit Ramirus apud Legionem ciuitatem.

Veremundus II.

Veremundus Ordonij 3. filius vario Marte cum Almanazore Maurorum rege conflixit. Primo congressu victor: secundo victus, & in fugam actus, cum quò se proriperet non haberet ad S. Iacobi im-

implorandam opem confugit. Nec frustra: siquidem fulgor diuinus apparens, a corpore S. Iacobi Barbaros repulit, & dysenteria percussos vita expulit. Vnde tanto Numinum fauore recreatus, resumptis viribus iunctoque sibi Garcia rege Saracenos superauit S. Iacobi loca sacra ab hostibus diruta restituit. Septennio regnum tenuit, & post in pace quieuit, relicto Alphonso filio superstite, & regnorum hærede.

§. 91.

Alphonsus V.

Alphonsus hic Legionensem ciuitatem instaurauit, & regum defunctorum corpora, quæ propter irruptiones Arabum in Asturias delata fuerant, Legionensem ad urbem postliminio referri iussit. Auxilia Sanctio Comiti Castellæ summisit: quibus instructus egregiè, graues expeditiones in Tole- tanos & Cordubenses Saracenos, ac maiores prædas egit. Dum Viseum obsidet in Lusitania, sagitta letali- ter ictus decessit, anno regni sui 29.

§. 92.

Veremundus III.

Veremundus minorennis adhuc in regnum successit. Huius præcipuum studium fuit oppida, monasteria, templa a Saracenis diruta restaurare. Dein rem bellicam curare: quam dum leg- nius administrat, acie congressus cum Ferdinando

Sanctiæ sorores viro succubuit, anno regni sui decimo.

§. 93.

Ferdinandus I.

Sub hoc rege nomenclatura regnorum mutata est anno 1025. Cum enim vxoris suę respectu Legionis regnum hereditarium adiisset, eius curam Sanctio patri commisit, qui Castellam tunc quoque per Eliuram coniugem consequutus obtinebat. Et huc vsque Legionis & Asturum titulus regius a Pelagio propagatus, deinceps Castellę Legionisque nomine celebrari ceptus. Huic successere.

Sanctius 2. anno 1063.

Alphonfus 6. vel vt alij volunt 7. an. 1107.

Alphonfus 7. an. 1126.

Sanctius 3. an. 1146.

Ferdinandus 2. an. 1160.

Alphonfus 9. an. 1177.

Hic Miramolinum Maurorum regem magno & memorabili prelio superauit: in quo S. Iacobus sanguine stillantem gladium vibrare conspectus est.

Henricus anno 1213.

Ferdinandus 5. anno 1216.

Alphonfus 10. an. 1251.

Sanctius 4. an. 1284.

Ferdinandus 4. an. 1295.

Alphonfus 11. an. 1310.

Pe.

Petrus cognomento Crudelis an. 1350.

Henricus 2. an. 1369.

Ioannes 1. an. 1379.

Ioannes 2. an. 1407.

Henricus 4.

Hic Aragoniæ Castella coniungitur, per matrimonio Ferdinandus cognomento Catholici Aragonum regis cum Isabella Catholica Henrici 4. sorore.

Ferdinandus rex Catholicus an. 1471.

Fuit hic omnium qui Hispanias huc vsque rexerunt fortunatissimus & Christianissimus. Nam huius ætate & auspiciis nouus Orbis repertus est anno 1492. Quo anno Granatę regnum impetio suo adiecit, profligatis tota Hispania Mauris, qui eam per annos 778. tenuerant.

Hic sanctum fidei Senatum instituit, Hebręos, Hereticos, Saracenos nusquam passus consistere. Regnum præterea Neapolitanum & Nauarrem, iniustis incubatoribus eiectis subegit.

Philippus an. 1506,

Carolus an. 1516.

Fuit hic Imperator & Princeps Christianissimus, cuius laudes obiter enarasse, detraxisse sit. Egit eius Encomiasten Surius in Commentario, Alphonsus Villosas, & alij non pauci, quos vide.

Philippus 2. an. 1557.

Philippus 3. an. 1598.

Phi-

Philippus 4. Viuit.

Hæc series regum, qui ex traduce Pelagio sancto descenderunt, factis ipsis præquam titulis omnes ferè nominatissimi, ex cauerna laci, ex petra, seu Spelunca B. Mariæ de Couadonga præcisi. Hi sicut ortum habuere ex nobilissimo sanguine Gothico, ita nunc sua per vestigia recurrunt ad Germanicam id est Austriacam originem, quæ semper viret, nec vnquam fronde caduca carpitur (laurum æternam diceres) Quin etiam præcipitante æuo stabilis accipit potius cum ipsa diuturnitate incrementum, quod ferè ad miraculum redit.

§. 94.

Apostrophe ad Pelagium Sanctum.

AD te Pelagi Sancte, redeat oratio, cuius nomen bonum permanet in æuum; cuius fortitudo velut lapis flammis procellisque probatus, non potuit vlla rerum asperitate consumi. Qui ad hæc vsque tempora nostra, per octo sæculorum volumina religionem Catholicam, non solum regum successione, & regionum accessione, sed etiam doctrinæ consanguinitudine, cum antiqua & Apostolica congruere & continuari fecisti. Respice regnum illud tuum posthumum, & ab eo depelle nouitatis omnis studium. Vt in illo non sit monitorum inopia,
nec

nec adulatorum copia: sed nec in magnis honoribus peccandi licentia, multò minus exequendi facilitas. Trahe reges & Principes nostros post te, non vt fabulosus ille Iupiter Homericus catenâ aureâ e nubibus demissâ: è qua cum dii penderent in cælum sublatis sunt: sed illo curru, quem Tertullianus de mundo loquens: Hic est inquit, currus Dei decies millies multiplicatus. Fac vt illo curru vecti, collecto quantum latis est, puluere Olympico terrarum domini, tandem aliquando subuehantur ad Deum. Isto curru decemplici vehitur salus Belgij. Vtinam te aurigante videamus breui metam certaminum, & brauium, ac cursus nostri præmium apprehendamus.

Hic est ille currus gloriæ, qui nihil aliud est quàm (Ammiani Marcellini verbo vtor) cura salutis alienæ. Illo enim trahuntur curæque catenarumque labores, quos piissimi reges & principes nostri pro regnis & Prouinciis sibi subditis, indefessis animis alunt. Prorsus siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant. Nec enim sibi fas esse volunt a cura salutis publicæ quiescere. Sed sui muneris esse putant in periculis, in laboribus, domi, foris, militiæque laudem strenuis, solatium conualidis, exemplum prudentissimi regiminis omnibus ostendere, & impensam bellorum incredibilem sustinere. Adeò vt Belgio vice versa redaptare possimus illud: *tibi militat orbis*, quod in theatro nuper subscriptum imagini regis no-

stri legimus, in auspiciis Ferdinandi Cardinalis Principis nostri. Quid enim? nonne pro Belgio militat omnis Hispania, & India? nunquid non illi suspirant auri argentique metalla, & in hoc bellum Belgicum profunduntur? Verè sui secura, Belgio tantum timere nouit Hispania. Nec sicuti sol, quando altissimè prouectus est in Zodiaco, tardissimi motus est, sic Maiestas Hispanica porrecta ab ortu solis ad occiduum cubile tardior est, ad succurrendum: sed adest illicò, sicut in bello fortis, sic & in tutela regionum & religionum fidelis. Et quamuis spem recuperandæ ditionis nuper amissæ nostra debilitent vitia, quæ & commonstrabilem toti orbi, fecere ruinam; tamen non nos ideò deserit regis propitia cura, sed genuino semper fauore custodit, & spem meliorem quasi arcem prospicit; cuius patientiæ cognata modestia est, & bonitati mansuetudo, & prudentiæ dissimulatio, serenitasque animi, suspendit iram, quam grauiorem effundere poterat in perduelles, ac obstinatos aduersus gratiam, ne aut non fortis, aut clemens sit.

Quando autem tantum virium ad resistendum hæresibus & hostibus limitaneis, qui nos circumstant, quantum satis sit, habituri fuimus, nisi neruos & artus nobis Hispania suggessisset? Cui dudum persuasum est, nullum obsequij genus Deo gratius, quam quouis modo periclitantes populos in fide confirmare, perfidiam & hæresim eliminare, nec alio ar-

motum

morum adiumento, quàm iure gentium concessio, & Dei cuncta prospicientis ab alto numine benè iuuantem se suosque fines tueri. Et post hæc omnia tam exaggerata beneficia, quid a fidelibus suis prouinciis aliud reposcit, nisi quod illud Cypriani, tacitè nobis insinuare videtur. Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram, & circa vos simplicem charitatem, vt gloriam nostram forti & perseveranti virtute teneatis? Atque hæc hæctenus de Speculunca illa, quæ nobis salutem tantam peperit, quantam nec hæc sæcula culpis fœcunda, & coniurationibus contaminatissima sperare potuerunt.

S. 25.
Synchrona.



Is iisdem ferè temporibus, id est anno salutis humanæ septingentesimo trigésimo tertio Otgerius Gollantes, Germanus cognomento Cathalon in Cataloniam cum exercitu mouit, comitantibus eum viris nouem illustribus, sanguine claris, & virtute probatis, quorum nomina cognominaque fuerunt, Napipher Montcada, Galerandus, Pinos, Hugo Mataplana, Guillelmus Ceruera, Guillelmus Raymundus Ceruello, Petrus Alemanij, Raymundus Anglesola, Gispertus Ribelles, & Berengarius Rogerius Erill. Hi in obsidione Empo-

Franc.
Tarapfa
de Regib
Hisp.

riæ ciuitatis agri Gerundensis ducem Otgerium fato
 amiserunt : in cuius locum surrogato Napipheto
 Montcada viro illustri, ob metum Saracenorum cum
 exercitu ad Cæritaniæ loca tuta & Pyreneos montes,
 vbi pueros, vxores, & impedimenta reliquerant, se
 receperunt, ibique vsque ad aduentum Caroli Magni
 Imp. permanserunt. Sed de ingressu Otgeri surgit opi-
 nio, an a Carolo Martello missus sit, vel a Pipino, vt
 alij dicunt. Nam teste Paulo lib. 7. his temporibus
 Visigothi omnes, qui citeriorem Hispaniam longè
 ante occupauerant, omni ope destituti, in Caroli
 Martelli potestatem deuenere. Tunc & Luitprandus
 28. rex Longobardorum, genere Gothus ipsi Carolo
 copias auxiliares transmisit : ac sic Visigothi, qui tre-
 centis quasi annis in Hispania imperauerant funditus
 deleti sunt, præter paucos, quos Barcinonenses libe-
 rauerant. Vnde & nunc Gottolani (vt aliqui opinan-
 tur) dicti sunt a Gothis & Alanis, qui promiscuè cite-
 riorem obtinebant Hispaniam. Antiquitus verò La-
 letani dicebantur, vulgò nunc Cathalani. Fuerunt
 autem Alani Schytia: populi propè Istrum.

Et sequerent duros æterni Martis Alanos. Lucanus.
 Igitur Barcinonensibus Comiibus (traducibus tuis
 Excell. Marchio Francisce Moncada) suam debent
 salutem & secundam originem Cathalani. Nec hi so-
 lum, sed etiam illi, qui ex Cæsar Augusta, & aliis op-
 pidis in Pyreneos montes sese receperant. Quorum
 ductor

ductor Garcias Ximinius, inclyto Gothorum sanguine cretus, multis rebus aduersus Saracenos præclare gestis, cum 600. equitibus (nec enim maiorem habebat numerum) Pelagium æmulatus, ditionis suæ potiora non mediocriter protulit: templumque in edita rupe, & diui Ioannis a Pegna cognominatum (cuius iutia visa sunt affine aliquid habere cum Speculunca B. Mariæ, in cuius adhuc heremus nomine) celebre postea multorum regum conditorium futurum euexit.

S. 26.

Pelagij suppanes, & equales.

IN tabulis Ecclesiasticis & Menæis Cisterciensium commemoratio fit innumerabilium Martyrum Ordinis Cisterciensis, Calatrauæ, de Alcantara, de Auilio, Montesa, &c. qui non quæstuosam aut meritoriam sed spontaneam secuti militiam, studio liberandæ Hispaniæ ab immani Saracenorum iugo, zelo propagandæ Christianæ religionis & fidei, optatissimam mortem optetierunt: Quorum numerum solius Dei notitia colligit. De his ita Miræus: Non immerito, ait, Ordinem illum, Hispaniæ a Maurorum iugo vindicem nuncupare possumus. Magna certè gloria, & quam posteritas omnis iure optimo suspiciat atque æmule-

tur. Hi supparet fuerunt Pelagij, quia eodem animi decreto, ad bellum sacrum seipsum auctorarunt: & ideo in censum martyrum veniunt, quotquot in eo occubuerunt. Quo titulo, ut martyres etiam coluntur in Lusitania illustres illi Equites Germani, Belgæ, Angli, & alij, qui in expugnatione Olisiponensi vitam amiserunt, de quibus ita Valconzelius: Horum numero (Martyrum) adscribendi sunt ij, qui infidelibus hominibus aditum occupantes, ne in Christi segetem noxia effundant doctrinæ semina, mortem oppetunt: & illi denique omnes, qui pro tutanda, vel instauranda fide Christi arma capiunt. Felices igitur, & terque quaterque beati, quibus hic contigit oppetere.

Mortis genus quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipere plurimi proceres Hispani, ab initio civilis belli Belgici, quod pro aris & focis gessere fideles, nihil sanè a martyrij splendore abesse visum est: Quorum sepulchris & Polyandriis libenter subscripsim illud quod tyrannicidæ Bruti statuae quidam subscripsit: *Vtinam viverent!* Sed frustra hæc vota, cum tyrannorum pœna sit lapsus populorum. Sicut enim rectorum virtute servatur populus? ita populi errore & furore periclitatur vel perit dæmagogus. Et verò sicut hyenæ fel utile est ad morbos sanandos, sic ea sæuitia qua Principes iniusti sæviunt in populum domini valet ad expurganda vitia. Et tale medicamentum, inquit Plutarchus, Agri-
genti-

gentinis fuit Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras, Myro, Clisthenes Sycioniis. Belgis autem Nassouij tyranni, & quotquot ab eis adsciti fuere ad rebellandū legitimo ditionum harum hæredi Philippo domino nostro regi clementissimo. Libet autem nonnullos eorum velut in pabulum fidei & religionis adducere, & officio sermonis appellare, qui ingentibus animis nomen Romanum & regium propugnarunt in summa difficultate temporum. Quorum labores & certamina in memoria hominum, sicut in Zocico cælestes imagines, meritò distribuenda sunt. Nolo autem ob eorum inter se præstantiam vel separatam laudationem, quempiam immoderatus animo commoueri, vel de prærogatiuis eorum contendere vel contemptos a me putare, quos non laudauero; sed a situ nomina quorundam vindicare mihi propositum, qui salutem nobis reduxere.

Ac in primis monumenta affectus & cultus sui Belgio reliquit Carolus V. Augustus, qui ditiones has, & in eis fidem orthodoxam sponsione facta, & fortunarum omnium velut posito pignore defensare semper institit. Nec ab his recessit, quando nos reliquit: sed genium suum in filio tanquam obsidem reliquit, tranquillitatemque animi, huius vitæ calamitatibus inso-ciabilem, quam dare turbato non potuit Imperio, in abditis recessibus a Deo petere promerique studit accuratis precibus. Cuius curas, & hæreditarias solli-
citu-

citudines capeffens Philippus filius sic excubavit in fe-
 curitatem ac incolumitatem noſtram, vt non iam to-
 ti ſe genitum mundo, ſed ſoli Belgio meminiffe vide-
 retur. A commodorum ſuorum ſtudiis aberat longil-
 ſimè, ſoli ſanitati fidei Orthodoxæ intentus, quos du-
 ces, quæ robora regni nobis non ſummiſit? veriffima
 animæ magnitudo eius, & quaſi animatæ imagines
 fuere, quos nobis deſtinavit gubernatores.

Ipſe igitur vt molliret imperium, dedit primum
 heroidem omnium quæ eſſent in terris ſanctiſſimam,
 immò & patientiſſimam, in quam religio, maturitas,
 ſcientia regendi, ſapientia, dignitas confluxiſſe vide-
 rentur verùm cum nihil ferè familiarius ſit, quam
 contemptus, vbi ſequior ille ſexus, potius quàm vir-
 tus aut æquitas attenditur, fide peſſima excipiebantur
 eius imperia, & multi de infirmitate muliebris in-
 genij & imperij inſipienter querebantur: quare ne-
 ceſſe fuit clariffima Belgici ſtatus lumina ſimul cum ea
 remoueri; & tales adhiberi iudices & vindices con-
 temptæ maiestatis, qui vſu ſanguinis ſeueriores facti,
 & premere, & laxas iuſſi dare ſcirent habenas. In his
 Albanus Princeps, & Dux Metymnæ cæli; quibus cū
 penè domesticum eſſet indulgere ſupplicibus, ſicut &
 ſuperbos opprimere, ne perduelles paterentur impune
 tranſire, & ſic ad crimina hortarentur inſortes, diſci-
 plinam animaduerſione gladij ſanciuere. Sed quan-
 tum illi vel hoc nomine ſibi laboris & inuidiæ pepe-
 rere!

tere! Durum telum necessitas, ignoscite. Tali eaute-
rio tempora fuerunt inurenda. Successere his Austria-
cus Ioannes, & Parmensis Princeps, homines quos
vidisse præmium erat, & sub quibus degere, securitas:
viri fortissimi, quos nunquam vicisset indignatio, qui
nunquam consilium ab iracandia sumerent.

Iustitiæ ne prius mirer belli ve laborum?

Sub his perduellis populi & diræ cervicis tumor
elusus est Gratiæ plus illis. habere & sentire possumus,
quam eloqui. Quoties pro nobis ferratum hostibus
pectus obiecete! quoties veluti per Scyllæos canes, &
patulas Charybdis voragines fragoso discrimina mur-
mure minitantes, duxere copias! & ille quidem mo-
dò in sinu Corinthiaco, modò ad Gemblacum; hic
autem in factiones varias scisso Belgio & Galliæ me-
dicina peropportuna, velut in magnam totius mundi
cloacam bellum traxit, & penè confecerant, nisi im-
matura fata interuertissent. Tunc enim sublati sunt,
quando viuere desuissent. Sed credimus numen his
rebus nostris interuenire, & propter demerita populi
dari tollique bonos duces. Quis non videat Deum
tunc quoque propitium fauisse bonæ causæ nostræ,
quando collapsis belli nervis anno 1595. classis Phi-
lippææ regia, quæ annorum aliquot tributa, & ingen-
tem per Americam auri argentique vim collectam ve-
hebat, feliciter portum tenuit! vehebat autem in na-
uibus 23. totidem auri milliones, thesaurum sanè qua-

lem nullus Monarcha ab orbe condito, vno eodemque tempore & loco vidisse dicitur. Sed tam est varia, multiplex, & reciprocabilis bellorum alea, vt & diuersissimos sæpererum euentus, & mutuò sibi obuersarios misceat, vt duces & reges alioquin aurei & nimia felicitate corusci, desinant velle se hic immortales fieri. Hinc ergo pulsantur aduersis euentibus, vt læti de morte proxima, & de vicina accersitione securi, de istis mundi, turbinibus extrahi cupiant. Quod & pro voto suo magis quam nostro consequuti plærque omnes, intellexere Dei immortalis fuisse munus non nostrum meritum, quod tamdiu relictis fuissent in huius vitæ Scena & Neomenia, in qua memoria agi præcipitur gubernationis vniuersi, cuius fuere suppares & administri: ad hoc nati, & terris ostensi, vt rem restituerent Christianam, æquè vt Pelagius Gothicam Hispanicam. Tristia supersunt & alia exempla, sed in posterum salubria ducibus æquè & populis, quæ vel attigisse leuiter recrudescens doloris sit incentiuum. Committere tamen non possum quin paucorum adhuc deuotionem commemorem, qui pro rege, pro religione, & iure Gentium tuendo fortunas adeoque vitam ipsam deuouerunt. Quid autem sit deuotio verbo Romano vel ex hoc exemplo collige, quod est apud Liuium vbi Decius sic loquitur. Præi verba Pontifex, quibus me deuoueam pro legionibus. Pontifex autem eum togam prætextam sumere iussit, & velato

capite,

capite, manu subter togam ad mentum exserta super telum subiectum pedibus stantem, sic dicere. Diu quorum est potestas nostrorum hostiumque, vos precor, veneror, veniam peto feroque, vti nobis victoriam prosperetis, hostesque formidine afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Rep. me deuoueo. Ita Decius obiectu capitis & laterum tutatus Remp. dictus est deuotus. Quot Decios, quot eiusmodi deuotos nobis summisit Hispania, qui vel decimati sunt in Belgicum bellum sacrum, vel suapte sponte sese ad illud obtulerunt? Orgetorix ad iudicium omnem suam familiam ad hominum millia decem vndique cogit, (vt est apud Cæsarem) sic & Heluetij finibus suis egressuri oppida sua omnia numero ad duodecim vicus ad 400. incendunt, vt domum reditionis spesublata, paratiores sint ad pericula subeunda. Tale quid videre fuit sub initium nascentium in Belgio hæreseon. Tunc enim familiæ totæ, Ordinumque militarium Magistri ex Hispania profecti, in Belgium & bellum sacrum deuoluti, verè deuoti, velut equis admissis in id ferebantur, certi omninò pro fide pugnare vel perire: plærque scriptis vltimis tabulis, velut nunquam amplius ad suos redituri, sed humana relicturi. Nec alio intuitu ferè, quam studio subueniendi Ecclesiæ Belgicæ a tyrannis lacesitæ, & Iconomachorum furore oppressæ. Quorum tamen Zelus & deuotio, a nonnullis (vt sunt semper iniqua iudicia tem-

porum nostrorum) in crimen & inuidiam vocantur. Sed benè habet quod orbis arbiter Deus de his iudicat. Nolo me diffundere in apologiis texendis, ne laborem deteram; nec omnium studia & voluntates, qui se ad bellum hoc auctorarunt, efferre audacius, ne amittam irritando crescendi copiam: sed tantum egregia quæ meminimus opera, animique præstabilis virtutem prædicare, ne si penitus ea silentio obuoluamus, ingrati simus. Abusque radice belli Belgici, ad hæc vsque tempora nostra viget adhuc in ramis posteritas sancta herorum istorum, & a calore primo nondum deferbuit. Audeant talia alij.

Quæ non supplementa copiarum, inclinato iam belli statui, ex suis ordinibus conflarunt; & quasi ad commune restinguendum incendium, congestis viribus aduolarunt! Mirum dictu, gentem vnã vno tempore parem esse potuisse tot hæreseon, tot regnorum insurgentibus in nomen Hispanum procellis; vt cum aduersus propugnatores istos religionis & fidei India & Turcia ab Oriente, ab Occidente Hesperia & Sicilia Cyclopum quondam patria, & post eos ferè semper tyrannorum nutrix; a Septentrione (qua plaga nihil atrocius) Bohemi, Bataui, Britanni, Belgæ domestici perduelles, & Hugonotæ Galli, denique totus orbis incurrerit, pugnando semper, nec vnquam cessando, vix tamen illis hæctenus vllam incutere potuerint de suscepta defensione fidei pœnitentiam. An-

re paucos hos annos inuictissimus rex & dominus noster quinque sub signis habuit & aluit exercitus; ut omittam quod classe victrici peruagatus est eodem tempore mare a piratis & hostibus hæreticis obsitum: iisque nequicquam freudentibus aui Philippi fortunam propemodum æquauerit, reducta classe millionum octodecim onere grauida. Et vnde nisi de supernis aurea felicitas ista, fideique defensandæ studium processit? Vnde illi peruia maria? vnde constantia tanta in tuenda Germaniæ, Burgundiæ, Belgicæ auita hæreditate? Nimirum a cælo est,

Est Deus in vobis, agitante calescitis illo:

Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Et quæ merces, quæ compensatio tot expeditionum, quas gens illa suscepit pro causa fidei. Certè hoc premij consequuta est, quod tumultuosissimum tempus illud non vidit, nec illa dissidia domi passa est, quæ vicina Gallia in sua conuersâ civili viscera dextra. Ut autem magnitudinem huius beneficij penitus intelligamus, obiter hoc dixisse sufficiet, bello vltimo civili Gallico (teste Colignio) decies centena millia hominum esse consumpta ferro, fame, factionibus, in duas partes discurrentibus hæreticis & Catholicis. Ab hac laniæna, Dei beneficio fuit immunis hætenus Hispania. Anno vno pax fuit in Romano Imperio post annos 460. at in Hispanica & Austriaca familia pax longè prolixior, & Ianus clausus. Nulli frater-

no ma duerunt ibi sanguine muri. Nullus improbae tyrannidis appetitus. Nulla sica lemniscatur regum sanguine. Nulla denique cum hæreticis inita societas in perniciem regni. Hæc sunt munera tua, Christe Deus, quibus fidelissimum tibi populum istum abundè coaccumulas, & reges Catholicos inauras. Quò contra Sectariorum dissectam ataxiam perniciosæ libertatis dulcedine deceptam, dum permittis laxis fluitare habenis, effrænis regiminis illius vectigal fit calamitas. Tu ergo dilecta diuis & Deo gens sancta, & genus electum, cui omnis cum Christo & Ecclesia societas dum tua nauis in alto est.

Hoc age ne mutata retrorsum te ferat vnda.


Immortale rectorum iudiciorum tuorum monumentum Belgium porrò conserua sartum tectumque: quod licet accisum vehementer exiguumque sit, & ad Iberiæ magnitudinem vix vmbra habeat; tamen quando exemplum Dei est etiam quisque in imagine parua, teste Manilio, Dei comtemplatione nomini maiestatique deuotos in tot rerum periculis ne nos desere.

Ten-

e
a
e
o
i
a
&
ia

i
e:
d
n
e
ni
es

b



LIBRARY OF THE
MUSEUM OF
ART AND ARCHITECTURE
COLUMBIAN UNIVERSITY
WASHINGTON, D.C.



LANTCOMMANDEVR.

Teuthonica Militia sanctioris vox promittentis gladium, & scutum submittentis, ac sub hoc schemate Germanicum ortem utrumque superum & inferum Augustæ domui Austriacæ Sancti-Pelagianæ Cantabra.

DE gente vna ample loqui, alijs fortè molestum est, minus autem quàm res est dicere, consentaneum decoro. Verum quando eadem gens ista, quæ scit se peregrinam in his terris Aquilonaribus agere, & inter extraneos facile inuenire inimicos, se continet in fidis silentij castris, nostrum erat eius benefacta percensere, ne, si a memoria separata fuerint, dilabantur. Et verò poteram introducere vñ aliquem Herimannum Chunnradum, pro regum stabilimento disceptantem, nisi iam eius ad reges parænesis satis esset vulgata: qua de pectore mortalium spinas & tribulos euellit, vt in eo omne semen verum, & inscripti flores nomina regum, quasi in horto fertili conerescant; & amaritudo, si qua est, regiminis, dulcedine tam necessariæ defensionis, quæ sperari tantum potest a regibus, & regnis illis, leniatur. Ne igitur actum agam, alium introduco Teutonicum militem, instar omnium vnum, amplificantem officia & fidem erga Cæsares & reges.

Ait ergo cum Seneca: Quam contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit! Quid enim vilis rege, vel, Cæsare, qui non supra fastigium erigitur plebeium: qui rebellibus seruire cogitur, vel precario tantum imperat? Nimirum sicut humano arbitratu diuinitas olim pensitata est; ita hodie Cæsarea regiaque maiestas. Nisi populo Deus placuerit, Deus non erit: Homo iam Deo propitius esse debebit. Eadem oratio, vox eadem vna est locustearum illarum nationum, quæ reges studio fraudis abiurant. Cautantur enim gentem Austriacam Cantabram, arte regnandi præferre pios, in omnibus induere lupos, vt ambitus & tyrannidis nomina diluant. Hinc cauterio & ferro aduersus eam armatur omnis pileata impietas, & ad pileum, & bellum pulchra pro libertate vocat.

Vos autem gens prisca Teuthonum, quorum im-
 menta laus est in summa licentia temporum ab Impe-
 rio non recessisse, fidi regno, deuoti Deo & Diuis ex-
 professio, seruaistis vos incontaminatos negotio. Qui-
 bus & dudum persuasum est, vti vites nisi applicen-
 tur, in cacumen non assurgere; propagari autem &
 fructificare comprehensis pedamentis & statumini-
 bus, quibus fulciantur: sic nec plebes sine regibus, in
 magnis motibus consistere posse. Vestrum munus est
 præcipuum, vos tradere regum & Cæsarum volun-
 tati: non ad vnam tantum sedentariam stationariam

ve militiam tanquam pacto stabilitam: sed ad omnia
 Cæsarum imperia, ad suscipienda pro fide certamina.
 Tantumque valet apud vos vis recti ordinis & legiti-
 mini regiminis, vt & oligarchiam, æque ac aristocra-
 tiam & democratiam respuat, vnus addicti iurare
 in verba Magistri, qui & militat Cæsari. An non ve-
 ster Ordo altior est mundo, qui non curat in cuius
 manu sit mundus? Vobis nimirum persuasissimum est,
 Regibus & Cæsaribus, summum rerum a Deo datum
 esse iudicium; aliis obsequij gloriam relictam: &
 quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera
 naturæ mala, ita defectus summorum regum tolerare
 necessum est. Salus Imperij suprema lex vobis est, non
 tam ex duodecim statuto Tabularum, quam ex ani-
 mi rectissimi dictamine factiones & scissuras odientis.
 Contra, hæresis fax & turbo Germaniæ vtriusque, re-
 gibus & religioni semper infensa, dum impatiens im-
 perij, in viscera patriæ grassatur, sæquè traditur tyran-
 nidi. Hæc Monasterij in Westphalia Romanum co-
 nata est sepelire nomen & Imperium: & ob id iustissi-
 ma vindicante Nemese, tradita est ciuitas Georgio Da-
 uidi, & Ioanni Leydensi Batauico Sartori, regi (si supe-
 ris placet) nouæ Ierosolymæ Westphalicæ. Audi ve-
 tus Batavia, sæx & sententia vetustissimarum hære-
 seon, relaxa peruicaciam: & quæ reges respuis, cur ocu-
 los non attollis, vt quis eos finis sequatur, qui in pro-
 prio solo reges abdicant, & in alieno seiplos aucto-
 rant,

rant, aduertat? Nimirum vt dicere posses, Reges dedi-
mus Flandricis cinctos stipatoribus, gemmatam Ieru-
salem in terris, diuuiratum restituumus. Sed exitus
eorum quis fuit? o gloria! candentibus laniati forcipi-
bus, & in caueam ferream coniecti, ac in sublime su-
blati clamant hodieque.

Discite iustitiam moniti, & non temnere reges.

Ad vos, o sceptrorum teredines, regibus ipsis affe-
ctata potestate participes, clamant hæc sæculi nostri
ferocientis exempla: Vel si non adeò mouent hæc do-
mestica, repetite vetera. Quis Plautiano Seueri Imp.
municipe felicior, quis Cæsari charior? Ille tot titulis
auctus, tot statuis honoratus, tantis opibus ditatus fuit,
quantæ quinquaginta reginis satis essent, vnde & ac-
clamatum illi quandoque fuit in Circo: Quid tremis?
quid palles? Tu certè plusquam tres viri possides. Adeò
horribilis, vt eo procedente aliquot antambulones
denuntiarent, ne quis in proximo consisteret, nemo
illum contueri auderet: cui & Seuerus ipse diceret, non
posse illi malum vllum a se accidere. Ille tamē ingen-
ti ludibrio humanæ felicitatis, & tremendo exemplo
diuinæ vltionis in impios interfectus est a Seuero, &
in viam proiectus: nomen eius abrasum, deturbatæ
statuæ. Denique & *Seianus ductus est onco*. Alij alijs
de causis, vel calumnijs in crimen vocati, cum vide-
rētur extra omnem aleam humanorum casuum positi,
flante Deo perierunt: vel de summo potentix gradu
deiecti,

deiecti, concinerati poenitentesque coacti sunt regum
 lambere vestigia, & genua detinere. Alij qui suopte
 arbitrio, spreto regum imperio, cuncta disponere fe-
 stinabant, vt sunt lubricæ res Aulicorum, vsque ad san-
 guinem & cædes, ad bellum eiusque labores prolapsi
 sunt. Ita nimirum Deus omnipotens, ille rex sæculo-
 rum immortalis, inuisibilis, a cuius conspectu terra
 contremiscit, superbissimi montes liquefcunt, vt cera:
 qui totum orbem apprehendit, non vt pomum tan-
 tum, sed vt nidum: cui cælum thronus est, & vt ver-
 bo Tertull. vtar, in quo omnis locus, non ipse in loco,
 qui vniuersitatis extra lineam est, regum causam tuen-
 dam suscipit, nec potentes abiicit, cum ipse sit potens.
 Ait enim: Per mereges regnant, & legum condito-
 res iusta decernunt. Prou. c. 8. Vno tantum regni so-
 lio reges vult præcedere. Sub quo si curuentur qui por-
 tant orbem, nulla deinceps erit timendi materia. Nunc
 igitur cum ipsa scriptam in fronte blasphemiam egre-
 gio humilitatis edito deleuerit exemplo, gens Austria-
 ca Romani tutatrix Imperij, quis est qui resistat ei?
 An tu mons magne, Alberti Eusebi, fax & turbo Im-
 perij.

Sit itaque sartum tectumque, nullam, nisi a Deo,
 regiam existere potestatem. Qui autem huic potestati
 resistit, Deo resistit: vti Respublicæ, quæ præsentis felici-
 tate deceptæ, & futurorum non cogitantes ambigua,
 iugum regum excutiunt. Quibus serius, ocyus, certò

dem aliquando, non vnum, sed quinque iuga bouum
 accelerabit Deus, vt accipiant super se regem Abad-
 don: qualis nuper extitit Palatinus rex annui magistra-
 tus, vel alter ille bimulus Gustauus Suecus, qui dupli-
 cavit tyrannidem. Est nimirum hic ordo prouiden-
 tiæ diuinæ omne hominum genus ineffabili iudicio
 dispensantis. Contra Dei iram Israel ex lex populus spe-
 rauit in Damasco: diruatur ciuitas, quæ aduersus illius
 voluntatem impiis præstat auxilium: Iudas sperauit
 in Ægyptiis: & Ægyptus destruat. Ægyptij confisi
 sunt in Æthiopibus: Æthiopes quoque vincantur ab
 Assyriis. Assyrij superbierunt, non Dei, sed suarum vi-
 rium arbitrantes esse victoriam. Et ipsi vincantur a Ba-
 byloniis. Babylon eleuauit contra Deum caput: Et ip-
 sa a Mædis Persisque superetur, Persæ & Mædi ex par-
 te persequuti sunt populum Dei: & aries sæuissimus
 ad Orientem & Occidentem omnes populos venti-
 lauit: veniat hircus caprarum Alexander, & conterat
 eum pedibus suis. Et qui ultra modum erectus est,
 veneno pereat regnumque eius diuidatur in partes: &
 cum multo tempore collisum fuerit inter se, Roma-
 no vincente populetur. Romanus ipse ferratis denti-
 bus, inguibusque Sanctorum carnes, & cruento ore la-
 cerauit. Excidatur lapis de monte, sine manibus, & po-
 tentissimum primum regnum ac ferreum, deinde fra-
 gile & infirmum, in testarum modum conterat. Ita
 ferè D. Hieron. c. 20. in Isaiam. Qui & in c. 19. ait:

Ante.

Ante Christi aduentum vnaquæquæ gens suum habebat regem: & de alia ad aliam nullus ire poterat nationem: in Romano autem Imperio vnum facta sunt omnia.

Hæc eò dixerim, vt omnis intelligat natio Dei providentiam, quæ Romanum delegit Imperium, vt subderet illi barbaras efferatasque gentes, & omnis mundus subditus fieret Deo: non Hansam aliquam Teuthonicam tantum (partem quotam terrarum?) sed orbem priscis incognitum Americum, vbi se domus Austriacæ Cantabræ porrigeret maiestas ab ortu solis ad occidentum cubile. Quamuis nec spernendi quidem vetutissimi Teuthonum foci, nec ab Imperij corpore reuellendi: quorum magna pars & portio quamuis secessionem iam dudum fecerit; attamen sanior eorum numerus, iam inde ab anno circiter 1191. secundum Polydorum, in vnum Ordinem coaluit, & B. Virgini-Matri Sacramentum Imperioque dixit. Hi Danici sanguinis Heroes, e Bremensi & Lubecensi oppidis Hansaticis exorti, candido sumpto habitu, & a tra cruci insigniti, seiplos primò auctorarunt ad Domini sepulchri custodiam. Et vt altos semper alerent spiritus, lata lex ab eis est, vt in Sodalitium eorum, non nisi Teuthones prosapia nobiles admitterentur. Quorum princeps Henricus Walpotius, cum curam sauciorum ad Ptolemaida & Peregrinorum haberet ex nobilibus plures ad simile pietatis obsequium inui-

tauit, Diui que Patris Augustini Canonem, Henrico Imperatore, Cælestino Papa Tertio auctoritatem facientibus, illis præscripsit: sicque Templariorum & Hospitatorum professiones in vnam conflarunt: studio quidem rei bellicæ Templarios; infirmis piam operam impendendo Hospitalarios æmulati.

Verùm cùm inclinatæ res Christianorum essent in Palæstina, in Europam regressi sunt eo numero, & potestate cum Regibus æquata creandi Equites, vt iustum exercitum efficerent. At agri deerant: & quod nobilibus durissimum esse solet, dolebant sibi militarem annonam deficere, quibus ferrum superabundabat. Itaque a Sarmatis (qui nunc Poloni) petere constituunt. Per id tempus non parum infestabatur Polonia ab infidelibus Prutenis: Quos vt a finibus suis arceret, copiam eos inuadendi Teuthonibus fecit Conradus Massouia Dux. Extat eius ad illos vox: Viri estis, inquit, en agros in Borussia habetis. Igitur tanto ardore pugnatum est, Hermanno Saltza Militiæ Magistro suis animos addente, vt & infideles Prussia credere coegerint, & varias præterea arces depopulati sint. Secundùm hæc, plurima prædia partim apud Hungaros, Germanos, Italos, atque procul dissitos Armenos in sui substantiam Ordinis conuerterunt. Propter Vistulæ fl. ripam oppidum in Deiparæ Virginis honorem condiderunt, quod Marieburgum dixerunt. Nec his finibus contenti, Liuoniam etiam vicinam

nam adorti sunt, adscitis, in commilitium Ensiferis Militibus Gentilibus suis. Qui mox ut arma sociarunt, etiam symbola cum Teuthonicis communia habere ceperunt.

Per tria ferè sæcula floruit hic ordo nihilissimus opibus, militè, exstimatione, donec 34. Magister Ordinis Albertus Marchio Brandeburgicus Anciliorum, nominis, & togæ oblitus, vxore ducta, quod dolendum maximè, a Catholica fide alienam fecit dignitatem. Tunc enim fas verum atque nefas: & nisi Serenissimus Maximilianus Austrius fædum correxisset errorem, penè perierat religiosissimus Ordo. Sed benè habet, quod sollicitudinum ei bona pars fuerit semper in reductione animarum ad suum principium. Hodie quoque Magnus Ordinis illius inclyti Magister nec deest Imperio, nec destituitur consilio, quo Serenissimum Hungariæ Regem instruat in expeditionibus. Habet hic idem Ordo in Mosæ-Traiecto Collegium amplissimum, & templum a S. Materno, ut fama fert in Deiparæ Virginis honorem consecratum. Cui præest Prouincialis vnus Commendator, notâ Teuthonum insignis. Præfnerunt autem longa serie plurimi viri virtutum ab anno 1267. quo ex Prussia huc in Belgium delati, cum Belgica nobilitate coaluerunt. Horum ibi depictas statuas & nomina cum aliquando lustraremus, in pugillares retulimus: & ne fortassis intereant, in gratiam Lectoris hic reddimus. Primus itaque

itaque qui loco cum potestate præfuit, dictus est.

D. Theodoricus de Guldenhulpsst anno 1267

D. Ludouicus a Kintwilre præfuit anno 1268.

D. Mattheus a Franckfort anno 1271.

D. Hermanus a Ryckel anno 1271.

Nicolaus Dominus ab Horne anno 1278.

D. Theodoricus Horst, anno 1284.

D. Theodoricus a Wunhouen, anno 1295.

D. Gualterus a Papenhouen, anno 1302.

D. Theodorus D. Hollandia, anno 1307.

Gerardus Dñs a Loon, anno 1322.

D. Rutgerus a Caudenbergh, anno 1324.

D. Ioannes ab Hoedhorst, anno 1328.

D. Gerardus van Printhaghen, anno 1329.

D. Henricus a Rondorst, anno 1340.

D. Conradus a Coulen, anno 1351.

D. Rutgerus a Vrimensen, anno 1358.

Reynerus Dominus ab Hoensbroeck, anno 1362.

D. Henricus a Leeuwenburch, anno 1371.

D. Reynerus ab Haussem, anno 1410.

D. Ioannes a Cortenbach, anno 1430.

D. Theodorus a Betenhausen, anno 1440.

D. Matthias vander Stratén, anno 1460.

D. Nicolaus a Dussen, anno 1467.

D. Ioannes vander Velden, anno 1481.

Gerardus Dominus a Sombrest, anno 1482.

D. Ioannes ab Herck, anno 1503.

D. Ma-

- D. Maximilianus ab Eynatten, anno 1512.*
D. Gerardus a Stridt Haghen, anno 1536.
D. Winandus a Breel, anno 1554.
D. Ioannis Ghoier, anno 1572.
D. Henricus a Ruysenberch, anno 1603.
D. Frambertus a Lichtemburch, anno 1605.
*D. Edmundus Hugo van Amsterade nuper adhuc
 præerat, cui successus nepos hodieque gubernacu-
 la tractat.*

Hi Commendatores Prouinciales aucti plerique omnes titulo de Balluy Biesen, aliaque toparchiarum nomenclatura; sed præcipuè religione fideque nobiles, Cæsaribus & regibus obnoxij, non aliud intuentes, quam quod Dei voluntas fortiter & suauiter omnia disponens, ab æterno de regum & rerum humanarum circum uolutionibus effata est.

Sed quærat aliquis, quorsum Hispanicis rebus Teuthonicorum horum memoriam interferam, cum a proposito abluant longiusque recedant? Fateor, impetus est recursantis recordationis tuæ (cui hæc parentalibus exhibentur) o chare Deo Diuisque Marchio, qui a Teuthonicis Boicisque genus Heroibus arcessis. Dum enim hos laudo, tuas laudes instauro, idque tantò securius, quando defunctus huius vitæ periculis, intuto positus, non iam amplius, velut olim Argonautæ & Iasones de ipsis periculis nobilitari, tibi necessum est. Non a sordidis initiis ad summa creuisti: sed nec

ex Cyclopicis, aut sparsissimis octopedum aliquorum
 Nomadum mapalibus familia tibi ducta est, verum
 ex religiosissimo genere & gente, quæ nunc etiam ad
 priscam indolem recurrens, miscet cum Hispanicis fa-
 miliis symbola, ac in te, velut in orizonte seu confi-
 nio suo rursus coaluit: & si vita diuturnior fuisset, po-
 tuisti quod cæperas perficere, perfectam Mosæ Tra-
 iecti, vbi Teuthonicorum tuorum sedes est, obsidio-
 nionem liberationemque accelerare: ne diutius taber-
 naculum illud gloriæ, Cathedra Cherubica, solium
 inquam & Sacellum Deiparæ Teuthonicum pollua-
 tur derisionibus incubantium hostium hæreticorum.
 Quod si te fata nobis eripuerunt, vt hæc gloria tota in
 solidum esset Serenissimi Principis nostri Ferdinandi
 Austrij, fatis nos cedere æquum est: Quare cum in
 cæptis eius multa diuinitus in sit gratia, spes non mini-
 ma est, eum tandem longo post tempore salutem ar-
 mata manu nobis pariturum, & iugum immane ciui-
 tatibus nuper occupatis ablaturum.

Hanc porrò, quam exhibemus vnus instar om-
 nium Teuthonici Militis idæam, cum Ancili vacuo
 sculpsimus: non quod Ordinis istius interfigne tale sit
 (nam pro gentilitiis insignibus crucem nigram in
 campo albo præferunt) verum vt insinuetur, eorum
 voluntates vltimas esse velut tabulas raras, in quibus
 Cæsarea manus & regia sua scibere valeat edicta: qua-
 si dictum velit vnusquisque eorum.

*Tuus, o Fernande, quod optes
Explorare labor, mihi iussa capeßere fas est.*

Ideò nullus color in vacuo scuti campo, quia vetera magistratus sui decora sequioribus factis decolorare non norunt. Cæsaribus autem & regibus eam prærogatiuam insignium relinquunt vt sua vel maiorum suorum gesta præferre fas habeant in ancili velut in ænigmate.

Libet hic adiicere conteserationem Anciliorum, quam disertè diducit & explicat Alexander dictus Patricius Armacanus (cui delatam tiaram gratulor ex animo) in Marte suo Gallico lib. 1. Omnia gentis illius insignia (Ibericæ) quibus domi militiaeque clari sunt, nil nisi facinora contra Saracenos, hoc est hostes fidei perpetrata testantur. Quid enim Leo rubeus Legionis, Castrum in campo rubente Castellatum, nisi sanguinem Saracenicum a Pelagio Alphonsoque nono fufum profitentur? Quid Catenæ Nauarræ, nisi ruptas a Sanctio forti Maurorum catenas? Quid quinque scuta Lusitanica, nisi quinque reges Agarenicos, ab Alphonso primo inaudita strage superatos? Quid quatuor Maurorum capita antiquitus Aragoniis, nisi tot reges vno prælio cæsos clamant? Crux in arbore priscis Suprarbrensibus, flammea primis Aragoniis, cærulea Lusitanis, quid nisi auxilia cælitus in præliis impetrata protestantur? Quid denique cruentæ cruces in chlamydibus, sanguineus ensis in pectoribus, nisi

decora illa prisca maiorum a Saracenis reportata, & pectora neci deuota pro gloria crucis probant? Parum abest, quin exclamem: O felix culpa Roderici, quæ tales meruit habere expiatores!

Addit paulò antè: Quot eorum, inquit, reges sanguine suo contra Mauros fuso, sua delicta deleuerunt, animas profuderunt, cadaueribus suis iter infidelibus obstruxerunt? Non est Prouincia, quaqua patet Hispania a Pyrenæis montibus vsque Oceanum, quam non infesto Marte subegerint Christo: non oppidum, quod non hostibus crucis extorserint: non fossa ciuitatis, quam non corporibus suis repleuerint: non mœnia, quæ non cruentauerint: non passus terræ, quem non Christianæ fidei, sanguine suo redemerint. Quàm crebrò desperatis rebus, quasi ad certam carnicinam se obtulerunt, lachrymisque in cælum clamantibus auxilium impetrarunt!

In quamcunque te Hispaniæ plagam verteris, fortitudinis bellicæ, aut ciuilis, humanæ, Christianæque virtutis nomine fuisse celebratos reges inuenies. Testes sunt tot illustria Regum cognomina, quasi totidem tropæa, quibus eorum virtus æternitati consecrata est. Hinc enim a religiosa in Deum pietate

(a) Sãctius alius (a) Amator Religionum, alius peculiariter (b) Petrus 2. rex Aragõ Catholicus: alius (c) Christianissimus dicebatur. Alius (c) Rami a ciuili virtute (d) Sapiens (e) Bonæ memoriæ (f) rus I. Arag. Castus (g) Munificus (h) Iustus (i) Desideratus K. Benig-

Benignus (l) Honestus (m) Pater pauperum, Defen-
 sor viduarum, Tutor pupillorum. Iustus iudex om-
 nium. Alius a bellica fortitudine, præclarissime facinori-
 bus contra Saracenos perpetratis, Bellator, Impera-
 tor, Expugnator, Magnanimus, Nobilis, Fortis, Afri-
 canus, Magnus, verè Magnus, Maximus & fortissi-
 mus; vt non regiis virtutibus fuisse, sed de palma
 quasi inter se contendisse videantur. Hinc alij aduer-
 sus infideles in Mauritaniam, alij in Africam, alij in
 Palestinam traiecerunt, vt crucis gloria in media infi-
 delitatis nocte rutilaret.

Et hi sunt qui Ecclesiæ promæria longius potulere,
 quàm quicquid simul regum, & Imperatorum, Con-
 stantini Magni temporibus in hunc vsque diem fuit.
 Quicquid ab aliis regibus Ecclesiæ adiectum est, Eu-
 ropæ terminis ita comprehenditur, vt vix extremos
 Asiæ limites radat. Hi verò præclarissimam Europæ
 partem Deo suâ constantiâ reddiderunt; Africæ Asiæ-
 que diffluentem vndique vestem, veluti limbo quo-
 dam, Monasteriis, Ecclesiis, Christi que cruce variega-
 to, cinxerunt; insulas remotissimas Dei laudibus im-
 pleuerunt; partem Americæ tota Europa vastiorem,
 Ecclesiæ imperio adiecerunt; Christi gloriam orbis
 terrarum limitibus terminarunt. Quidni igitur tot
 commemoratis regionibus, quæ se subdidere regibus,
 adiungat vterque noster orbis Germanicus, & Cæsa-
 ribus regibusque suis pareat? Quorum e magno acer-

(d) Alphon-
 sus 10. &
 Alphonfus

5. Arag. (e)
 Ioannes 1.
 rex Lusit.

(f) Alphōf
 2. & Alph.
 2. Aragon.

(g) Alphon
 3. Arag. (h)
 Iacobus 2.

Arag. (i)
 Sanctius 3.

(k) Alphōf.
 4. Arag. (l)
 Ferdinand

1. Arag. (m)
 Sanctius. 3.

uo illud inprimis occurrit, quod agro & vacatione seipsos ab olim fraudarint vt dotarent Ecclesias. Si enim ambirent (quod calumniantur aduersarij) terrarum dominium, nunquam se nudassent tot arcium, urbium, imò prouinciarum possessionibus, quas ab hæredibus suis auerterunt. Qui calculum accuratè posuit Damianus a Goes, ait Reges Hispaniæ annuè ultra quinquagies centena millia ducatorum aureorum, præter exactiones inde accipere: eos autem qui se cultui diuino dedere habere in sola Hispania singulis annis ultra quadragies centena millia ducatorum, præter id quod Commendatarij & eorum Magistri possident, quæ summa est etiam ingens. Ea quo facillò apparet, inquit idem post L. Marineum Siculum, quàm religiosi semper fuerint Hispani, & quam dediti diuino cultui, cum tam : liberaliter suas eleemosynas Christi ecclesiis impertiti sint. Addo, quàm procul absint, vt soli reges esse velint, cum sibi penè Clerum, maximè sacrum fidei Senatam æquent opibus & tribunalium maiestate. Omnis Hispaniæ cleri prouentus (si Abbates excipias) duplò maiores, quàm Episcoporum sunt. Est præterea innumera Abbatiarum, & Monasteriorum copia, quarum prouentus, non solum Cleri redditus æquant, sed etiam superant. Quid non contulere reges Lusitaniæ Episcopis Indiarum, Orientalium, Africae, & Æthiopiæ & multarum aliarum Insularum? adeò vt iniqui suo statui videri queant,

queant, & potentiaæ suæ potentatum Ecclesiasticum æquare voluisse. Sic se liberalitas eorum exserit, vt & fortunas suas comminuant, ad hoc vt Clerus amplè degat. Quid simile videbis in Batauica rebelium Re- pub. vbi vix paucis Ministris sustentatio suppetit? ideo erit sicut therebinthns defluentibus foliis: & omnes eius rapinaæ, redigentur in purgamenta stupæ, quæ le- ui voratur incendio.

A P P R O B A T I O.


H*ic tractatus de B. Maria, dicta de Couadon- ga, in Hispaniis celeberrima, auctore nobili viro D. Iosepho Geldolfo à Ryckel, S. Ger- trudis Louanij Abbate dignissimo adornatus, lecto- rem ad pietatem excitat & deuotionem, ideoque dig- nus est, qui preli beneficio lucem adspiciat. Actum Duaci 13. Nouembris 1635.*

Georgius Coluenerius, S. Theol. Doctor, & regius ordinariusque ac primarius Professora, collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus, Ducensis Vniuersita- tis Cancellarius, & Librorum Censor.

Cum Privilegio Concilij Brabantia.

Anno 1627.

FOVRDIN.



BRITISH MUSEUM